



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



Q. D. B. V.

LOGOMACHIAS IN IVRIS NATVRAE DOCTRINA

PRAESIDE

Gofflieb SAMVEL Greuer/
 POLIT. ET MORAL. PROF. PVBL. ORDIN.
 VENERANDAE ET INCLYTAE FACULTATIS
 PHILOSOPHICAE H.T. DECANO.

D. XXVI. IVNII, A. CLOCCXX.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
IN IVLEO MAIORI SVBIICIET

AVCTOR
IO. CHRISTOPHORVS EISENHART
 HELMSTADIENSIS.

Helmstadi,
 Typis SALOMONIS SCHNORRII.

ІАНАНДІ АНІМОСІ

2012.1.29

THE JEWEL
SOLITARIES & PEARLS
AMBER & MAGNETITE
LAPIS-NEPHRITE, CHOWCHING
ANTIQUE & VINTAGE JEWELLERY

Appleton's International

MICROBIAL INTEGRATION OF THE CYTOSOL

УДОСІВЛЕННЯ

ЯСТВУ

THE CHRISTIAN CHURCH IN THE UNITED STATES

Hinduism

ЛІБОВІДІ СІЛЮЕТЫ

*PER·ILLVSTRI
ATQVE
EXCELLENTISSIMO DOMINO
VRBANO DIETERICO
DE
LVDICKE
SERENISSIMI DVCIS
BRVNSVICENSIS AC
LVNEBVRGENSIS
SVPREMO STATVS ADMINISTRO
AC CANCELLARIO,
HAEREDITARIO IN SICKTE,
RELIQVA
DOMINO SVO BENIGNISSIMO
QVA-*

**QVALECVNOVE HOC SPECIMEN
ACADEMICVM
IN PERPETVI OBSEQVII DOCVMENTVM
SUBMISSIONE ANIMI SVMMA
OFFERT, DICAT, CONSECRAT
TANTI NOMINIS**

**DEVOTISSIMVS CVLTOR
IOANNES CHRISTOPHORVS EISENHART.**

***** CAPVT I.

DE ORIGINE ET ANTIQVI-
TATE LOGOMACHIARVM
IN DOCTRINA IVRIS
NATVRAE.

S V M M A R I A.

§. I. *Docet logomachius ipsi iuri naturae proprie non inesse.* §. II. *Recenset scriptores, qui de logomachiis egerunt.* §. III. *Causa logomachiarum in iure naturae scriptoribus, sunt primo, confusus de principiis moralibus conceperat.* §. III. Secundo, contradicendi libido. §. V. Tertio, praiudicia infanta & educationis. §. VI. Quarto, pruritus novitatis. §. VII. Quinto, primata utilitas. §. VIII. Sexto, affectus amoris & odii. §. IX. Antiquissimis temporibus doctrina de iusto multis verborum lusibus obtegebasur. §. X. *Decagis logomachias Stoicorum in iure naturae.* §. XI. *Logomachiae Scholasticorum in eadem disciplina.*

§. I.

De logomachiis in iure naturae occurrentibus, pro ingenii nostri mediocritate, acturi, monendum prius putamus, inanes has lites in ipso iure naturae proprie non dari. Est enim *ius naturae*, si definitionem eius spectes, *Ius diminutum*, quod per lumen rationis innoscit, & *reuum humanum genus obligat ad pacem externam conservandam*: eiusdemque principia, humanae naturae superstructa, adeo certa sunt atque evidentia, vt homo, simulac ratione vti incipit, eadem fine vlo negatio percipere possit. Par ratio est conclusionum, ex iis principiis legitime deductarum, quas, si accurate excutiamus, arctissimam cum natura nostra conuenientiam habere facile apprehendemus. Cum igitur *ius naturae* fundatum sit in hominum natura immutabili, nil, nisi perpetuas & immutabiles veritates comprehendat, necesse est, adeo, vt nihil, quod ad ambustum eius pertinet, in dubium vocari possit, si disciplina ista in

A

se

(2)

se consideretur, non vero, quatenus a scriptoribus, qui pro varietate ingenii, temperamenti, affectuum, variis & saepe apparenter pugnantes *opiniones* in eam introduxerunt, litteris confignata est. Patescit hoc vterius ex logomachiarum indele, quae sunt: *Vitia crudelitatis*, quibus, rebus negligientiis, & turbulis litigant. Vitia enim artificium arti ipsi male imputari, nemini ignotum esse arbitror.

§. II.

Est vero, ut in omnibus parte aliis disciplinis, ne theologia quidem ipsa excepta; sic in iuris naturæ doctrina, tanta logomachiarum copia, ut opera pretium esse videatur, easdem peculiari commentatione excutere. Nemo, quantum equidem scio, logomachias in iuris naturæ disciplina hucusque ostendit, quare eo magis optandum esset, vt lucem adspiceret disquisitio, quam de hoc arguento celeberrimus MICH. HENR. GRIBNERVS, in præfatione ad ultimam editionem *institutiones iuri prudentiae naturalis* promisit, cum de solida doctaque materiae huius elaboratione, præclara viri illius, in hoc quoque studiorum genere, eruditio nos dubitare non permittat. Generatim de logomachiis egit SAMVEL VVERENFEL-SIVS, Theologus Basileensis eruditissimus, qui dissertationura volumina duo edidit, in quorum priori, *de logomachiis eruditissimis*, erudite differit. Detexit enim perquam solidè vitii huius reipublicæ litterariæ adeo noxii natutam, caussas, signa, remedia, & specimina quædam logomachiarum in philosophia & theologia exhibuit. Logomachias in iure excusit Iureconsultus celeberrimus, AVGUSTINVS LEYSERVS, in dissertatione sua inaugurali, Wittebergæ sub præsidio IOANNIS HENRICI BERGERI habita, quam copiose laudare supersedeo, cum doctorum omnium approbationem iam dudum promeruerit. Præter hos, nemo de perniciose hoc eruditorum vitio, vel generatim, vel speciatim, ex instituto scriptit, nisi forte hic referendus sit HENRICVS ALTINGIVS, qui in *Theologia* sua *Elenchistica* logomachias a reliquis controuersiis separare studuit, sed rem tantum perfunctorie tractauit.

tractatix. Legi intexta quoque merentur, quæ BAILET
suo. i. *jugemens des secravais*, in capite de *vitis criticorum* etiam hac
de re commentatur.

§. III.

Inter causas logomachiarum; quibus iuris naturæ disciplina laborat, primo loco referenda est confusa, quam multi de principiis moralitatis sibi formant, idæ. Cum enim ius naturæ sit pars philosophiæ moralis ex principiis iusti deductæ, & nulla moralitas sit absoluta, ut maxima Peripæticorum pars frustra affirmat, sed semper respiciat vel normam iusti, vel honesti, vel decori, vel utilitatis strictius sic dictæ, eum infinitarum litiuum occasionem præbere patet, qui principia ista non recte distinguit. Inde fit, vt, quæ honestas vult, vel decorum suadet, ad principia iusti referantur, inde oritur lis, vtrum aliquid sit licitum vel illicitum, vel contra ius naturæ, vel minus, cum vterque litigantium in re quam sapissime conueniat, in verbis vero dissensus sit, quia alter alias de iure naturæ concepit idem, & plura ad illud retulit, quam alter, qui ipsi contradicit, adeo, vt tota controuersia amice componi posset, si modo de significatione vocis iuris naturæ conuentum esset. Inanes illæ lites, quas principiorum moralitatis confusio in hac disciplina peperit, evitare difficultatum foret, nisi vir illustris, CHRISTIANVS THOMASIUS, qui principia iusti a principiis honesti & decori primus quam accuratissime separauit, malo huic medicinam feliciter fecisset. Ab aliis iuris naturæ scriptoribus, qui ante illum scriptis inclarerunt, nondum sollicite satis principia hæc sunt distincta, ne ipso quidem GROTIQ & PVFENDORFIO exceptis. Vnum nominasse sufficiat, IOANNEM GRÖNINGIVM, qui, in *Biblioteca Iuris Gentium Europæ*, theologiam naturalem, ethicam & politicam cum iuris naturæ doctrina confudit. Promittit enim tum in libri ipsius titulo, tum in singulorum capitum inscriptione, se de cuiuscunque gentis iure vniuersali esse ætsum, cum tamen placita de deo æque ac bonis moribus simul admisceat. In eandem errorem, ex principiorum moralitatis

A 2

con-

confusione oitum, inciderunt ZENTGRAVIVS, A RYS.
SEL, GVLIELMVS GROTIUS, & ex recentioribus,
GEORG. BEYERVS, GRIBNERVS, BARBEY-
RAC, PROELEVS, & plures alii.

§. III.

Non minus quoque (2) prava contradicendi libido mul-
tas inanes de verbis disceptationes ad iuris naturæ disciplinam
adiecit. Eo enim multi progrediuntur stultiz, vt gloriæ sibi
esse ducant, si quid in eruditorum scriptis inueniant, quod op-
pugnant. Ita quippe hominibus quam optime persuaderi po-
putant, se plus sapere, quam illos, quibus contradicunt. Hinc,
cum consentientibus æque ac dissentientibus disputant, vbi
repugnantiam non inueniunt, aliquam fingunt, raro de rebus,
sepiissime de verbis litigant, contenti, quod repererint alter-
candi materiam. Eiusmodi farinæ homines, si in ius naturæ
incident, logomachias infinitas committunt, in nulla re promi-
tores, quam in iudicando de rerum iusticia & iniusticia. Ha-
bites ad tribunal suum vocant, & dictoria auctoritate dirime-
re volunt, arbitrantes, inde singularis prudentia laudem sibi
enasci, si contra celebrium quorundam virorum placita, quid
iustum, quid iniustum sit, determinare possint. Non mirum
vero est, illos ad ridiculas logomachias dilabi, cum ad res de-
cidendas, interdum nec ingenii, nec iudicij satis ipsi sufficiat.

§. V.

Huc accedunt (3) opiniones in infantia semel præconce-
ptæ, quibus nonnulli tam firmiter inhærente solent, vt contra-
rium statuere, vix ac ne vix quidem animum induci patian-
tur. Quæcunque enim actiones a parentibus vel præceptoris-
bus tamquam iusta vel iniusta illis sunt propositæ, ab iisdem,
sine ulteriori rei consideratione, ad iuris naturæ ambitum re-
feruntur. Sic multi Atheismum, ingratum animum, denega-
tionem officiorum humanitatis iure naturæ prohibitam esse vo-
lunt, quia vitiorum horum turpitudō ipsi in infantia est incul-
cata, non considerantes, sanæ rationis tamen, non ius naturæ
actio-

(6) (6)

actiones istas condemnare. Hinc etiam accidit, vt, quem in tenera ætate sensum termino cuidam semel alligarunt, semper retineant, &c. si forsan alias eundem admittere nolit, rem ipam illis negasse videatur. Oritur inde contradicatio, disputatur acerbe in utramque partem, nemo vult inferior discedere, parturiunt montes, prorumpit ridiculus mus, lis est de termino.

§. VI.

Largus quoque (4) logomachiarum in iuris naturæ disciplina fons est, perniciosus ille nouandi pruritus, quo plurimi abrepti antiqua fastidiose reiicitunt, recentia manibus pedibusque infestantur, putantes, nihil esse verum, nisi sit nouum, veteribusque incognitum. Stolidum hoc nouitatis studium multas inanes de verbis disceptationes in iuris naturæ disciplina excitatuit. Cum enim illa, recentiori demum ætate, a viris immortali laude dignis, HVGONE GROTI, SAMVELE DE PVFENDORF & CHRISTIANO THOMASIO instaurata & in lucem rursus protracta sit; quiuis fere ad eam augendam vel emendandam aliquid conferre cupit. Noua hinc excogitat augmenta, quæ, si considerentur accuratius, non in rebus, sed verbis consistunt, aliis tamen assensum dengantibus eadem obtrudere conatur. Inde tot controversiar circa vnam sententiam oriuntur, quæ facile tolli possent, si, remotis verborum inuolucris, res, prout in se est, spectaretur. Ita enim deprehenderentur illi saepe vnum idemque sentire, qui in verbis plane contrarii esse videntur.

§. VII.

Interdum (5) ob priuatam aliquam utilitatem, rei alicui, quæ approbationem alias non inueniret, specioso quodam iuris vel iustitiae nomine color inducitur, vt alia appareat in oculis hominum, ac re vera est. Inprimis in summorum regum, principumque negotiis obseruare licet, non deesse adulatores, qui rem iniustum nomine innoxium quid inuolente, insignire soleant, ne domini eorundem iniuste egisse videantur. Eum in finem, iuris naturæ notionem, latius quam par est, extendunt.

A;

tot

tot officia sub ea comprehendunt, tot obligationes ad ius naturae referunt, vt modo ostendant, populum, quem princeps illorum bello persequitur, ius gentium violasse & ad reddendam satisfactionem legitime cogi posse. Facili sane negotio, si optis eset, ostendere possemus, doctissimos quoque viros, ne de gloria regis sui aliquid diminueretur, facta eius, siue licita fuerint siue illicita, speciosis colorasse verbis, & sic contra dissentientes, non de re ipsa, sed vocabulo ipsi imposito decertasse.

§. VIII.

Tandem (6) ex præpostero amoris vel odii adfectu, multi scriptores innumeræ in ius naturæ logomachias inuexerunt. Sunt, qui auctoris illius, quem odio prosequuntur, sententias, vel veræ illæ sint vel falsæ, semper refutare student, & quando argumentorum ponderibus fieri hoc non potest, tot nomina, verba, vocabula, distinctiones, superaddunt, immiscent, obtrudunt, vt id sensisse videatur incauto lectori, quod ipsi imputant. Illi contra, quando e re sua esse vident, auctorem quendam in auctoritate constitutum secum sentire, tot otiosas distinctiones fingunt, tot ridiculas limitationes excogitant, tot absurdas verborum detorsiones inueniunt, vt eundem tandem in partes suas pertrahant, indeque eam sæpe auctori adfingunt sententiam, quæ ne in mentem quidem ipsi umquam venit. Sic Scholastici olim nullam fouerunt opinionem, quam non Aristoteli, vel inuitio etiam, obtruserunt, sic plurimi commentatores Grotiani, opiniones, quibus imbuti erant, ex ipsis Grotii verbis demonstrare voluerunt, quæ tamen sæpe aliud & toto cœlo diuersum sensum admittunt. Cui denique in historia iuris naturæ vel mediocriter versato, ignotum facile esse potest, quot inuidiosis nominibus viri summi, SAMVELIS de PVFENDORF sententiae fuerint pressæ, quæ absurdæ & iniuste consequentæ inde deductæ, & quot iniustis imputationibus virile æterni nominis fuerit oneratus, quæ omnia copiose enarrare instituti ratio non permittit. Quid vero agunt homines, adfectibus suis cœco impetu indulgentes, nisi vt innumeris logomachii ansam præbeant, quas facile cuiuscumque possent, si anime

me

(*) 7 (*)
mo tranquillo, remotis partium studiis, auctoris sententiam ex-
penderent, proponerentque.

S. VIII.

Ex his fontibus tot inanes de verbis disceptationes in iu-
nis naturae disciplina sunt exortæ, vt ad eas evitandas, accurata
separatio principiorum iusti a principiis honesti & decori omni-
no sit necessaria. Antiquissimis temporibus omnis moralitatis
doctrina sub fabularum inuolucris tam confuse hominibus est
gradita, vt quid iuris perfecti, quid imperfecti sit, parum co-
gnosci potuerit, quemadmodum ex summa reuerendi D. B V D.
D E I dissertatione: Φιλόσοφος Φιλόμυθος, quæ reperitur in e-
ius *Analectis Historia Philosophica*, abunde constat. Cum vero
in Aegypto litterarum et in primis philosophiæ studia effloresce-
re cœpissent, philosophi, vt eo maiorem vulgi admirationem si-
bi acquirerent, sub variis characteribus dogmata sua proposu-
erunt. Sic doctrinam apud illos representabat cœlum rorem
fundens, leo vigilantia & prudentia erat index: sic nota est
tabula illa Isiaca ænea figuris ornata, in qua explicanda desu-
darunt eruditii, aliis phylicum, aliis chymicum, aliis historicum,
aliis moralem sensum ipsi tribuentibus. Conferatur LAV-
RENTIVS PIGNORIVS, qui in eam commentarium scri-
psit, & HERMANNVS WITSIVS, in *Aegyptiacis*, vbi plura
de hieroglyphica Aegyptiorum docendi methodo reperiri pos-
sunt. Postquam autem Pythagoras in peregrinationibus suis ad
Aegyptios delatus, atque ad sacra illorum admissus erat, occultus
ille docendi modus adeo ipsi placuit, vt verborum inuolucris
dogmata, quæ sibi & suis discipulis reseruare voluit, obtegeret.
Nota sunt eius symbola a IAMBLICHO memoria prodita,
quorum explicationem dedit LILIVS GYRALDVVS, in li-
bro peculiari, quem *interpretationem symbolorum Pythagoriconum in-*
scriptis, MAGNVS DANIEL OMEIS, in *Ethica Pythagor-
ica*, & illustrissimus comes FRANCISCVS BERNIVS, in
arcana moralibus, quæ PAVLVS pater quondam omnium vi-
bus exposuit. Ut quædam tantum proferam, summam maie-
statem inuiolabilem semper habendam esse, hoc symbolo indi-
care

est voluit Pythagoras: coronam ne tange, & quando dixit:
lancem ne transgredere, discipulos docuit iustitiam accurate ob-
seruandam esse. Plura videri possunt apud auctores citatos. Po-
test quoque de doctrina Pythagoræ euolui IO. GRÖNIN-
GIVS, lib. I. cap. IIII. & qui eam ex instituto pertractantiam sibi
summis, IOANNES SCHEFFERVS, in libro, *de natura, & con-
stitutione philosophia Italica*. Cum igitur præcepta doctrinæ
de iusto, quæ atiquid momenti habere videbantur, nemini fer-
re nota essent, præter illos, qui in intimorem disciplinam a
Pythagora admittebantur, atque ex ore magistri toti pendebant,
nullæ fere contouerter in moralibus a Pythagoricis sunt ex-
citatae.

§. X.

Quod ad philosophos attinet Stoicæ sectæ addictos, illi,
in explicandis hominum erga alios officiis, multum operæ, studi-
ique posuerunt. Dogmata vero illorum accuratius examinata
ex pessimo principio deduci facile deprehenduntur. Omnes
homines vnius animæ, essentia scilicet diuinæ, quæ per to-
tum orbem se extenderet, participes esse affirmabant, atque inde
concludebant, iustum esse, ut tanquam membra vniuersi se
inuicem amarent & mutuis officiis prosequerentur, Magnam
præterea logomachiarum copiam in totam philosophiam inue-
xerunt Stoici, testante, ex veteribus, CICERONE, lib. IIII. de
finibus, & ex recentioribus IVSTO LIPSIIO, strenuo illo se-
ctæ huius propugnatore, in *Manuductione ad philosophiam Stoicam*,
lib. III. Ex multis paucas quasdam, exempli gratia, in medium
proferam. Ridiculam logomachiam committunt philosophi isti,
quando contra Peripateticorum turbam affirmant, solam vir-
tutem esse bonum quid, non vero alias corporis animique do-
tes, quas tamen commoda & producta appellant: de verbis li-
tigant, cum peccata omnia punienda esse volunt, & ea, quae ex
ignorantia vel errore committuntur, peccata esse negant.
In eo enim cardo rei versatur, vtrum talia peccata poenis affi-
cienda sint, vel minus: aerem feriunt, quando sapientem su-
um non quidem veniam dare, interdum vero parcere contendunt.
Taceo logomachias de affectibus, vtrum sint boni vel mali,
vtrum

(44) 9 (45)

vtrum sint tollendi vel mitigandi, quæ Stoicis cum Peripateticis intercesserunt, quia illæ a proposito meo alienæ esse videntur. Quid de tota philosophia morali Stoicorum sentiendum sit, erudite ostendit B V D D E V S in dissertationibus quatuor, de Stoicorum erroribus in philosophia morali, quæ inueniuntur in eiusdem *Analectis Historia Philosophica*. Euolui quoque potest GRÖNINGIVS, in *Bibliotheca iuri gentium Europæ*, Lib. I. c. 8.

§. XI.

Vltimo denique loco norabimus Scholasticos, qui iuriæ naturæ disciplinam scriptis suis illustrare, vel potius obscurare sunt aggressi. Sunt inter illos quidam Moralistarum nomine clari, qui doctrinam de iustitia & iure vastis quidem, sed inutili labore congestis commentariis posteritati reliquerunt. Pleaque illorum auctorum nomina enarrat GRÖNINGIVS, Lib. 3. cap. 2. §. 8. qui simul indicat, quod nulla certa fundamenta dogmatibus suis substernant, ex propriis principiis argumenta non deducant, sed spinoso & fastidito dicendi genere friuolas quaestiones moueant, auctoritate magis canonum & decretorum quam rationibus certantes. Multis sane ineptiis, tricis, & inanibus verborum pugnis doctrinam de iusto pessime intricabant Scholastici: confundebant ea, quæ maximè a se inuicem separanda sunt, principia honesti, iusti, & decori, & dogmatum iuriæ naturæ veritatem, vel ex iure ciuili, vel canonico, vel ex testimoniis patrum, vel ex ipsa reuelatione ostendere allaborabant. Moralem philosophiam, æque ac Metaphysicam, nimis generalibus inuoluebant vocibus, limitationibus variis, & abstractionibus nullius vsus obscurabant. Et, quoniam inanes cerebri sui fictiones, neglecta humanæ naturæ consideratione, pro fundamento in philosophia ponebant, in varias discedebant sectas, de nudis vocibus inter se disputantes. Inde orti sunt Nominales, Reales, Thomistæ, Scotistæ, Summistæ, Quodlibetarii, qui, cum de verborum significationibus inter se disceptarent, magno conatu magnas agebant nugas. Cum legibus naturæ coniungebant nouas agendi normas, quæ ipsi finxerant: earundemque beneficio turpissimis interdum scelle-

B

fcele-

(6) 10 (6)

sceleribus virtutis colorem inducebant, quemadmodum tum ex libro, qui inscribitur: *Essai de Morale des Jésuites*, tum ex scriptis Scholasticorum, qui casus conscientiarum decidunt, multis exemplis probari potest. Huc accedit, quod peruerso quodam altercandi pruritu abrepti, gloriosum esse putauerint de vnaquaquis re dubia mouere. Quem in finem subtilissimas ex cogitarunt distinctiones, quarum opere se facile extricare possent, si a dissentientibus captos se esse intelligerent. Hinc aliter fieri non potuit, quam ut illorum scripta, in quibus doctrinam de iusto attigerunt, variis implerentur logomachii, quas copiose enumerare instituti ratio non permittit. Non possum tamen quin mentionem faciam celebris illius controverson, tanta animorum contentione inter Scholasticos agitatam: Vtrum ius naturae competit bestiis, vel hominibus solis, quae, si accuratius examinetur, ad logomachiam recidit. Illi enim, qui ius naturae quemuis instinctum natura inditum esse affirmabant, illud bestiis quoque competere concedebant, qui vero ius naturae pro voluntate dei ex lumine rationis cognita accipiebanit, bestias, ab eo plane excludebant. Eiusdem logomachiarum scholasticos accusauit celeberrimus LEYSERVS in dissertatione supra laudata §. 74.

CAPVT. II.

DE LOGOMACHIIIS IN IVRE NATVRAE STRICTE SIC DICTO.

S V M M A R I A.

§. I. Ordinem dicendorum exponit. §. II. Exhibet logomachias de eo, quod contra vel secundum ius naturae esse dicuntur, & de primo ciuile principio. §. III. Explicat logomachias de voce naturae. §. IIII. De iusto & iniusto. §. V. De licito & permesso. §. VI. De statu naturali. §. VII. De equalitate naturali. §. VIII. De communione primaria. §. IX. De irreibili & defensionis. §. X. De fama simplici.

§. I.

• • •

§. I.

Vt ordo constet, quem per integrum tractationem nostram seruaturi sumus, logomachiae in iure naturae occurrentes ad quatuor capita a nobis reuocabuntur. In primo agemus de logomachiis, quæ in iure naturæ stricte ita dicto vel absolute reperiuntur, quod ita vocatur, quia omni statui, conditioni, viræque generi est accommodatum: in secundo eas exhibebimus, quibus ius publicum vniuersale, seu ius naturæ ad res publicas applicatum, laborat: tertium caput inanes de verbis disceptationes, quibus ius gentium sive ius naturæ, quatenus inter liberas gentes valeat, implicatum est, enarrabit: quartum denique logomachias, quæ iuri priuato vniuersali immixtae sunt, excutiet, dissicietque. Ita enim totius doctrinæ de iusto ambitu, quantum euidem fieri potest, facilius nos agmensuros, & nihil, quod momenti alicuius sit, intactum relicturos esse speramus. Alias vero hinc inde in latissimo disciplinæ huius campo vagaremur, incerti, quo loco & qua, methodo vnaquæque res quam commodissime tractari possit. Fundatus est iste, quem proposuimus, ordo in diuersa applicatio ne iuris naturæ & quatuor eiusdem partibus exinde resultantibus, quas diuersis scriptis multi eruditorum exhibuerunt. Sic ius naturæ stricte ita dictum a plurimis scriptoribus traditum est, inter quos EPHRAIM V M GERHARD V M nomina sufficiat: ius publicum vniuersale explicatum est ab VL RICO HVBERO, IOANNE NICOLAO HERTIO, IVSTO HENNINGO BÖHMERO: ius gentium a multis scriptoribus aliis: ius priuatum vniuersale a beato parente meo, IOANNE EISENHARTO. Omnes vero partes in compendium redigunt, vir & ingenii & prudentiæ laude insignis, MICHAEL HENRICVS GRIBNERVS, & haud ita pridem publici iuris fecit.

§. II.

Quod igitur ad ius naturæ stricte ita dictum attinet, circa ipsam illam vocem tot exortæ sunt inanes disceptationes, ut illas

B 2 euitare

exitare oranes difficillimum esse videatur. Voci enim ambiguitas efficit, vt alter in hoc, alter in alio significatu eam sumendo, doctrinæ huius limites modo coarctauerit, modo extenderit. Sic multi ius naturæ accipiunt pro complexu legum natura notarum, vt GROTIUS, a) PVFENDÖRF, b) GRIBNER, c) BVDDEVS. d) Alii contra ad principia iusti siue obligationis perfectæ vel externæ illud, in strictiori significatione sumtum, restringunt, vt CHRISTIANVS THOMASIVS, e) &, qui eum sequuntur, quam plurimi. Longe aliter de iure naturæ senserunt veteres, qui, auctore IOANNE IOACHIMO ZENTGRAVIO f), sub eius nomine ius gentium passim intellexerunt. Hoc vero apud eos significauit vel mores receptos & consuetudines, vel ius ciuale plurium populorum simul, id quod citatus auctor, testimonis ex Liuio, Cicerone, Iustino, Herodoto, Augustino, Vasquio adductis, breuiter quidem, sed concinne demonstrat. Et, si dicendum quod res est, veteres fere omnes ius naturæ, vel usui & consuetudini, vel consensui gentium, si non omnium, politiorum saltē superstruxerunt, quemadmodum illud de Aristotele & Cicerone PVFE NDORFIVS g) euidenter demonstrat, simulque errorem istum erudite profligat. Latius adhuc iuris naturæ pomœria extenderunt iureconsulti Romani prisci, qui illud definierunt ius, quod natura omnia animantia docuit h). Imperatorem ipsum IVSTINIANVM, & iureconsultum cetera doctum VLPIANVM, hanc sententiam fouisse, neminem facile præterire arbitror. Nec defuerunt recentiori ætate, qui sententiam istam recoquerent & calculo suo approbarent, siquidem non CVLPI SIVS tantum in *Collegio Grotiano* tradit, bestias iure naturæ regi, sed GVILIELMVS etiam GROTLVS illud omni enti competere affirmat, & HENRICVS BODINVS ius naturæ animalibus ratione substitutis tribuendum.

esse

- a) de iure belli & pacis lib. 1. c. 1. §. 10. b) de officio hominis & ciuis P. 1. c. 3. §. 12.
- c) de principiis iurispr. nat. proleg. c. 3. §. 1. d) de natura & indole iurispr. natur. cap. 1. §. 1. e) Fundam. iuris naturæ & gentium l. 1. cap. 1. §. 58. f) de origine, veritate & obligatione iuris gentium, in proœm. g) de iure nat. & gent. lib. 2. c. 3. §. 7. seqq. h) Pufend. l. c. §. 2. & 3.

esse, ex naturæ lumine deductis argumentis probari posse contendit i). Quandoquidem, igitur tam variae significationes voci iuris naturæ ab auctoribus sunt subiectæ; factum est, ut tot diuersa principia disciplinæ isti sint tributa. Etenim, cum unusquisque ideam, quam de iure naturæ formauerat, conuenienti fundamento superstruere tentaret; de vero & vnico eiusdem principio multæ exortæ sunt inanes disceptationes, in quas auctores inciderunt, quia cum iuris naturæ vocabulo diuersas coniungebant notiones, quas sub uno quodam principio comprehendere studabant. Alii ius naturæ aliquod christianum, & orthodoxum fixerunt, atque inde, in formando eiusdem principio ad statum integratissimum, decalogum, præcepta Noachica, vel legem & euangelium recurrebant. Alii ius aliquod naturale, ex omnibus moralitatis principiis conflatum, conceperunt, & principium eius vel dictamen rectæ rationis, vel voluntatem dei, eiusdemque sanctitatem & iustitiam constituebant. Alii ad disciplinam istam retulerunt regulas, quæ quantum homo homini debet commonstrant, nulla ratione habita discriminis inter virtutis, decori & iustitia normam, illi proinde principium iuris naturæ in socialitate & mutua benevolentia quæsivierunt. Alii denique, obligationem respexerunt, quam deus homini imposuit secundum moralitatis regulas viuendi, atque ad amorem & cultum dei rationalem, legem eiusdem æternam & instinctum naturæ in ponendo principio doctrinæ de iusto prouocabant. Inde quoque lites, quid sit contra vel secundum ius naturæ, si inspiciantur accuratius, maximam partem ad logomachias spectant. Prout enim aliquis ideam de disciplina ista sibi formauit, id omne, quod cum illa conuenire videbatur, ad ius naturæ retulit. Sic exempli causa, alter ad colendum deum iurisprudentiam vniuersalem nos obligare, & eandem, polygamiam & polyandriam fugiendam esse, imperare affirmat: alter iure naturæ ad hæc nos obstringi negat. Oritur controversia, quæ summa religionis nostræ, fideique capita attingere videtur, disputatur in utramque partem scriptis iniuriarum fæpe & conuictiorum plenis, inuri-

B 3 tur

i) Gribn, l. c. §. 8. n. 2. 3. 4.

tur hæreses nota, obiicitur Atheismi crimen, vel saltem naturalismi, si altera pars mitius procedat. Quando vero remouemus verborum inuolucra, litem de nuda voce esse, facile videbimus, dum alter sub iuris naturæ vocabulo complexum omnium legum natura notarum, alter id, quod pacis exteræ inter homines conseruandæ necessitas, à deo vnicuique imposita postulat, forte intelligit. In re ipsa amica est conspiratio, siquidem nemo temere inficias ibit, lumen rationis ad cultum diuinum obligatos nos esse agnoscere, & adductorum delictorum fæditatem quam maxime detestari, intermissionem vero diuini cultus, & minimum horum perpetrationem pacem externam nullo modo turbare posse. Ex hoc adducto exemplo de aliis iuris naturæ controversiis, quando quid contra, quid secundum illud sit, disputatur, iudicari facile potest. Plura officia ad illud referet, qui ex statu integritatis ius naturale deducit, pauciora, qui illud sumit pro legibus diuinis natura notis, paucissima, qui ad pacis exteræ conseruationem eiusdem officia restringit.

§. III.

Mirum forte videri possit, vnde factum sit, vt tot diuersæ eruditorum, de eo, quid sit ius naturæ, prostent sententiaz, & de vero eius & vniico principio tot vanæ disputationes sint exortæ. Admodum vero probabile est, vocis naturæ ambiguitatem, inter alias causas, ansam præbuisse multis eruditis, ceteribri sui fictiones iuris naturalis nomine appellandi. Diuersas vocis naturæ acceptiones CICERO & ARISTOTELES enarrant, ille quidem in libro secundo, *de natura deorum*, hic in *libris metaphysicorum*, vbi in peculiari capite de vocabulo *Quicq;* disputat. Nos quasdam ex communioribus significationibus eligemus, quas probationis loco hic adducamus. Sumitur vox naturæ pro natura naturante, siue deo, atque ita in Stoicorum scriptis passim occurrit: accipitur quoque pro principio motus, pro ordine & lege huius vniuersi semel a deo constituta, vel pro vniuerso ipso: interdum denotat aggregationem omnium potentiarum in corpore aliquo, nonnunquam rei quidditatem, sapientis adfectus hominis natura insitos, vel naturalem istam operacionem,

nem, quæ a deo in mentibus nostris producitur. Plures significations addere superuacaneum esse arbitror; cum, qui accusariorem rebus huius cognitionem desiderat, adire possit R. O., B. E. R. T. L. B. O. Y. L. E., librum de ipsa natura, sive liber, in quo natura rationem acquisitionem auctor, ubi materia hæc vberius est perscrutata. Adeo obscura, adeo ambigua est vocis naturæ idea; quid mirum, illam tot logomachii occasionem præbuisse. Sic dubiorum iuris naturæ auctor suo comprobauit exemplo, quod ex tot diuersis de vocabuli naturæ significatu opinionibus varia dubia faciliter negatio deriuari possint. Multi certe ius naturæ cum scholasticis in naturali instinctu, vel cum B. O. D. I. N. O., in naturæ ordine, vel cum veteribus iureconsultis in eo, quod natura omnia animalia docuit, non quaesiverint, si vocis naturæ genuinus sensus clare satis cognitus fuisset atque perspectus.

§. III.

Inter controverbias inanæ, quibz iuris naturæ disciplina laborat, lites de eo, quid iustum vel iniustum sit, maximam pertinet referendæ esse videntur. Qui enim principia iusti, honesti, & decori non sollicite satis distinguunt, facile in eum incidunt errorem, vt iustum reputent, quod ad honestatis aut decori regulas re vera spectat. Hinc unusquisque scriptor, prout iuris naturæ limites vel coarctavit vel exrendit, vocabulum iusti vel in iustiori vel in strictiori significatu sumvit. Non hic multus era in examinandis veterum de iusto & iniusto diuersis sententiis; cum labor iste a proposito meo abhorrire videatur. Euoluat, qui opiniones illas nosse cupit GRÖNINGII Bibliotheca juris generum Europaeum, ubi auctor plerorumque populorum de iusto naturali placita, data opera, examinanda sibi sumvit, licet plurima, quæ ad iustum naturæ minime pertinent, simul admiscuerit. Iustum vero est in iuris naturæ fato, quod pacis externæ conseruandæ necessitas postulat, & quo omnissimiliterius iuri, a deo ipsi concessio, aliquid detrahitur, eique bellum in statu naturali suscipiendo legitima causa suppeditatur. Iustum igitur est neminem laedere, pacta servare, ablatum restituere.

a) pag. 27. seqq.

stituere, quia, eo neglecto, pars externa turbatur & status belli oritur. Alter enim vi cogere potest alterum, vt ipsi concedat iura ista, quæ ad secure vivendum vnicuique mortalium deus ipse attribuit. Exsulat igitur ex iuris naturæ foro iustitia personarum, illud quippe præcipit, vt homo iusta faciat, nec curat, vtrum iuste vel iniuste agat, quod ethicae discutiendum relinquit: exsulat id, quod imperfecte iustum communis loquendi vsu appellari solet, & quæ isti innixa est, iustitia vniuersalis, particularis, commutativa & distributiva. Nam ius omne necessario perfectum esse debet, & ius imperfectum, si rem accuratis consideremus, spectat ad id, quod ex honesti aut decori principiis ab altero nulla vi, sed peccatio postulare possim. Quæ cum ita sint, cauendum nobis est, ne vocabulum iusti nimis arcte constringamus cum Thoma Hobbesio, qui iustum dixit esse, quod pacto promisimus, neque cum aliis iuris naturæ scriptoribus idem nimis extendamus: media incedendum est via, & actiones diuersæ naturæ ad diuersa principia sunt referenda, &, ne verbis pugnemus, diuersis nominibus appellandas. Qui igitur, nullo habito respectu relationis ad tranquillitatem externam, actiones eas, quas recta ratio præ aliis, nobis inculcat, verbi gratia, deum supra omnia amandum, parentes senio confectos esse alendos, iustas appellant, logomachizæ merito postulari possunt. Agnoscere enim necessario debent, actus hos esse alius indolis, quam illi sunt, qui pacem externam respiciunt, & propriæ iusti dicuntur, nihilominus tamen, hos quoque iustos appellandos esse, perperam contendunt. Atque hac in re quamplurimi scriptores hallucinandi occasionem præbent, dum, in explicatione iuris naturæ, officia, ad quæ præstanta vis alterius nos cogere potest, cum iis commiscent, quæ, si omittantur, non tam aliis quam nobismet ipsis maxima sit iniuria, & quæ ex honestatis regulis vnicce dependent. Huc spectant officia erga deum, & nos ipsos, quæ, cum vi externa a nobis exigi nequeant, nec iusta appellari, nec ad forum iuris naturæ trahi vlo modo possunt. Illud enim officia tantummodo comprehendit, quibuscum externa obligatio est coniuncta, & quæ, sine alterius lassione, omitti nequeunt.

§. V.

Cum igitur actiones, quæ ex naturali æqualitate iuris & obligationis inter homines dependent, iuris naturæ obiectum constituant, illud omnes actus, qui in externam tranquillitatem non influunt, silentio præterire facile intellegitur. Illi ad duo potissimum genera commode referri possunt, quidam nec externæ nec internæ hominum tranquillitatí aduersantur, quales sunt, scientiam aliquam addiscere, certam vitæ conditionem eligere: quidam externam pacem non lèdunt, internam quam maxime turbant, verbi gratia, inuidia, superbia, impietas. Hos actus omnes ius naturæ ex ambitu suo excludit, facet de iis, nec, vtrum faciendi vel omittendi sint, determinat. Inde vero perperam concluderetur, ius naturæ actiones illas approbare, quas expresse non prohibet. Magistratus in ciuitate ebriosis & lusui deditis hominibus pœnas infligere non solet, quis autem inde colligeret, magistratui caros esse ciues eiusmodi generis vitiis deditos. Ita quoque ius naturæ, quod ex principiis iusti vnicē deducendum est, multa honesti & decori regulis aduersa permittere, non approbare concipitur. Non possum igitur, quin logomachiae accusem illorum nimiam subtilitatem, qui actiones quasdam secundum doctrinam hanc licitas quidem & indifferentes, non tamen permittas esse volunt, vel vtramque tum liciti tum permissionis vocem, de variis hominum actibus plane non admittunt. Nescio, quæ præconceptæ opinions illorum animos occuparunt, qui atheismum, incestum, concubinatum, polyandriam, horrenda sane & honestati, aliisque iuribus quam maxime aduersa scelera iure naturæ permissa & licita esse dicere nolunt. Facile illis largior, lumen naturæ tanta crima omnibus modis fugienda, damnanda, detestanda, execranda esse agnosceré, dummodo concedant, id quod rei evidentia postulat, illa externæ hominum tranquillitati nullum damnum directe inferre. Cur igitur dicendum non esset, permitti hæc omnia a disciplina illa, quæ externam pacem pro fine habet, interdicti ab ista, quæ internam respicit. In re ipsa est consensus, siquidem finis & obiectorum diuersitas

() 12 ()

tas diuersas disciplinas constitutae necesse est, & vox permittere non significat, rem aliquam calculo suo approbare, sed potius eam in medio relinquere, & num fugienda vel committenda sit non determinare. Conferri hic meretur erudita oratio IOANNIS BARBEYRACI: *Discours sur la permission des loix*, in qua celeberrimus auctor ostendit, non omnia iusta & honesta esse, quæ leges ciuiles silentio inuoluunt.

§. VI.

Non minorem logomachiarum copiam status naturalis notio in ius naturæ introduxit, quam lites de eo, quid permisum, quid licitum secundum doctrinam istam vocari possit. Tres potissimum prostant diuersæ, de statu naturali, eruditorum opiniones, PVFENDORFII a) scilicet, HOBESII b) & VALENTINI ALBERTI. c) PVFENDORFIVS eum hoc modo describit, quod sit status ille, in quo ante introductas ciuitates, homines vixerunt, nullius dominio subiecti, neque inter se vel beneficio vel iniuria cogniti. THOMAS HOBESIVS, eum esse statum belli omnium aduersus omnes affirmat. ALBERTI hominem in statu naturali ut integrum, & ad imaginem dei creatum, considerat. Diuersæ haec descriptiones quam plurimis controvensiis ansam praebuerunt, quæ tamen in logomachiarum numerum maxima ex parte referri merentur, dum singuli auctores eas voci status naturalis addiderunt ideas, quæ cum variis & diuersis affectibus fuerunt coniunctæ. Alii Pufendorfii statum naturalem, tanquam ens rationis, plane reiecerunt, dicentes, numquam sine dominio fuisse homines, vtpote paternæ iurisdictioni statim a prima nativitate subiectos: alii, Hobbesianum, ut humanae naturæ contrarium, damnarunt: alii Valentini Alberti placita tamquam ex alieno foro petita, refutanda sibi sumserunt. Fuerant porro, qui supradictas status naturalis descriptiones in uniuersum absolute reliquias esse arbitrati sunt, & quis posset

a] Lib. 2. de officio hominis & ciuis c. 1. § 5, & lib. 2. De iure naturæ & gent. c. 2.

b] Pufendorf. l. c. vbi ipsius Hobbesi verba adducit. c] In compendio iuris naturæ orthodoxæ theologiae conformato P. I. c. I. §. 21. & 31.

set omnes istas enumerare lites, quæ de hoc argumento inter eruditos sunt agitatæ? Verum enim vero unusquisque illorum, qui statum naturalem descriperunt, vocem hanc alio sensu adhibuit. Pufendorfius ipse fatetur, se finxiisse tantum statum illum, in quo vniuersum genus humanum simul vixerit. Neque hoc vitio verti poterit viro summo, cum fingere non sit falsum aliquid pro vero venditare, sed falsum tantummodo supponere, rei alicuius illustrandæ caussa. Quare non video quomodo excusari possint, qui, ex hoc fundamento, Pufendorfi hypothesis euertere conati sunt. Atque, ut clarius constet, quæ immortalis memoriarum viri hac de re fuerit sententia, obseruandum est, illum non intelligere perfectissimam hominis conditionem, quam natura intendit, sed statum, in quem ipsa natusitas homines constituit, antequam alterius dominio se subiecerunt. Status itaque naturalis, secundum Pufendorfium, licet numquam extiterit inter homines omnes, extitit tamen inter quosdam, & adhuc existit inter liberas gentes, & interdum quoque inter priuatos. Quod ad Hobbesii sententiam attinet, illa quidem non penitus excusari potest, fuerunt tamen, qui in ea refutanda, logomachias commiserunt quam plurimas. Maxime iniurius illis videbatur Hobbesius in vniuersum humanum genus, affirmando, illud in statu belli omnium aduersus omnes vel unquam vixisse, vel adhuc interdum vivere posse. Quapropter contra istam hypothesis tot insurrexerunt eruditi, qui eam variis argumentis destruere allaborarunt. Ast vero sciendum est, Hobbesium ista ætate vixisse, qua Anglia, patria eius, intestinis motibus, & ciuilibus bellis misere turbabatur, atque in formando statu naturali ad gentem illam, nil nisi odium, inimicitiam, & bella eo tempore spirantem maxime respexisse. Ipse sane fatetur in *Lectiunculae*, cap. 13. *tempus numquam fuisse, quo uniuscuiusque unicuiusque hostis esset*, & alii Hobbesium excusantes iam dudum obseruarunt, illum, ad metum incutiendum rebellibus Anglis librum suum conscripsisse. Quod si igitur consideres gentem effrenatam & rebellem, imperii omnis impatientem, cui nihil tam sanctum est atque integrum, quod non aliquando violare audeat, quæ

omnem pñne humanitatis sensum exuisse videtur; illius status naturalis quid est aliud, quam bellum omnium aduersus omnes? Per se naturalis illa hominum conditio ad bellum & pacem est indifferens, per accidens, vt in scholis loquuntur, in statum belli degenerat, vbi nemo tutus est ab altero. In alio igitur sensu Pufendorfius, in alio Hobbesius statum naturalem sumit, ille ad homines omnes eum accommodat, hic ad quosdam tantum, nempe maxime iniquos, ille statum naturalem vt in se est, & sua natura, hic, vt per accidens esse potest, describit. Aliter quoque intelligenda est sententia Valentini Alberti, qui Hobbesio & Pufendorfio in verbis plane contrarius esse videatur, in re ipsa facile cum illis conciliari potest. Hic statum naturale ex lumine revelationis desumfit, illi ex lumine rationis eum deduxerunt, Alberti illum tradidit, vt esse debet, & a deo ipso productus fuit, nempe perfectissimum, Pufendorfius & Hobbesius, vt est, vel per hominum malitiam fieri potest. Ex illis, quæ haec tenus disputauit, sine vltiori deductione patere arbitror, logomachiae postulandos esse, qui tot lites de his status naturalis descriptionibus mouerunt, cum satis, vt arbitror, demonstratum sit, quemuis auctorem idea, quam de vocabulo status naturalis sibi formauit, conuenientem delineationem excogitasse.

§. VII.

Non ignota esse potest iuris naturæ cultoribus, quæ, de æqualitate naturali, inter Peripateticos & recentiores philosophos, magno contreditu, multaque contentione agitata est, controversia. Ili quippe statuunt, homines quosdam esse natura seruos, antesignani sui Aristotesis vestigia presso pede secuti. Magnus enim ille philosophus statim in principio libri primi *Politicon*, homines quosdam nasci fertios, quosdam ingenuos & liberos, multis quidem argumentis, frustra tamen probare conatur a). Iure enim meritoque reicitur pernicioſa hæc & funesta humano generi sententia, quæ, si perpendatur attentius, funda-

a) Vid. Piccarti Commentarius ad lib. Polit. Aristotelis, vbi philosophi sententia quam optime est exposita.

fundamento destitui facile deprehenditur. Non in præsenti tandem explodere penitus & confutare instituti ratio permittit, defensores tantum eiusdem opinionis logomachia reos peragam, siquidem illi, cum controversiæ statim non recte formauerint, re ipsa non contradicunt aliis, qui seruos natura dari negant, quamuis contradicere videantur. Dicunt, naturam ipsam intendere inæqualitatem, tot res sibi inuicem subiicendo, alteri prudentiam, alteri insipientiam, alteri ingenuam, alteri seruilem indolem tribuendo. Concedimus hæc quam turbentissime, quoniam sermo nobis est, non de æqualitate physica vel politica, sed de æqualitate morali siue iuris, quæ inde deduci nequit: non negamus, quosdam esse aliis aptiores ad ferendam seruitutem, immo dignos, qui tanquam serui trahentur, id quod Peripateticorum rationes euincunt. Ast num sequitur, qui potentia, ut ita loquar, est seruus, illum esse seruum actu? quem natura aptum fecit ad seruendum, eundem re vera esse seruam? Licet quis ingenii dotibus altero sit inferior, est tamen homo, æque ac alter, & ad pacem externam quærendam æque obligatus. Quæ cum non satis distinxerint Peripatetici, vocabulis luserunt, probarunt id, quod nemo in dubium vocat, non quod probandum erat.

§. VIII.

In eandem, in quam Peripatetici, incidunt scyllam, qui communionem primæam in vulgari sensu sumtam, inter otiosas philosophorum fictiones, ex iuris naturæ ambitu plane eiiciendas referre non dubitant. Illi ex hoc potissimum fundamento eam reiiciunt, quia diuinitus tradita & hominibus omnibus generatim concessa est cunctarum rerum proprietas. Ex quo sequi putant, communionem tecum inuenire non posse, ubi omnium rerum domini homines a deo ipso sunt constituti, & sic proprietatem, occupationis & divisionis, quæ multiplicato humano genere facta est, caussam fuisse, cum patrum possessiones hæreditario quasi iure filii acceperint. Vera vtique sunt omnia, & luce sua radiant, quæ contra primæam communionem afferuntur argumenta. Tantum tamen abest

vt illam euertant, vt potius, salua ista de communione sententia, facile concedi possint. Ecquis est, qui neget, homines omnibus omnino rebus vtendi facultatem a deo ipso accepisse? nibilominus, ante terrarum orbis diuisionem, communio quædam fuerit necesse est. Facile concedimus, commune dominium aliquod hominibus omnibus a deo fuisse indultum, quod tamen communionem adeo non tollit, vt potius eam egregie confermet, quia sine communi dominio omnia inter homines iure communia esse non possent. Deus certe commune dominium hominibus eum in finem non concessit, vt res obuias in medio relinquerent, & in vsus suos non adhiberent, sed vt unusquisque in sui conseruationem iisdem legitime vti posset. Cum autem ex multis rebus nulla plane utilitas exspectanda sit, nisi quis, exclusis aliis, easdem sibi soli vindicet; luculentissime patet, a deo ipso permisum esse mortalibus, res eas in proprietatem redigere, quæ, humano genere nondum aucto, omnibus erant communes. Communio namque primæua ante tolli non potuit, quam homines ex iure indefinito, quod deus unicus dedit vtendi rebus creatis, terrarum orbem ita occupauerint, vt res singulæ in singulorum potestatem cesserint. Cum igitur res ita se habeat, qui communionem primæam oppugnant, non disputant de re ipsa, sed potius de communionis voce, cui aliam plane addiderunt ideam, quam illi formarunt, qui communionem defendant a). Priusquam finiam hoc argumentum, mentio adhuc facienda est eorum, qui inter communionem negatiuam & positiuam distinguunt, & quænam in principio rerum locum habuerit, disputant. Ut verum fatear, videntur de nudis vocabulis tantum disceptare, cum distinctio illa non adeo firmo nitatur talo. Positiue communis res appellatur ea, quæ ad plures eodem modo pertinet, adeoque possessionis socium inuoluit, negatiue communis, quæ ante occupationem non magis ad hunc quam ad illum spectat b). Omnes res ad omnes homines eodem modo per-

tinue-

a) Boëclerus in Commentatio ad H. Grotii de jure belli & pacis lib. 2. cap. 2.

Hochsteterus in Collegio Pufendorfiano, Exercitat. 8. Et alii complures.

b] Hochsteterus l. c.

(23) 23 (24)

tinuerunt, quia omnibus æquale ius a deo datum fuit easdem sibi vindicandi, non magis ad hunc quam ad illum spectarunt, quia ante occupationem nemo sibi aliquid tanquam proprium exclusis aliis, tribuere potuit. Hoc igitur sensu & negatiua & positiva communio primis temporibus in orbe obtinuit.

§. VIII.

Quid de iure belli & defensionis, de distinctione inter bellum offensium & defensium in statu naturali sentiendum sit, iuris naturæ in doles nos facile condocere potest. In re ipsa distinctiones illæ fundamento plane destituuntur. Ius belli nemini competit, nisi, ob iniuriam ab altero acceptam, in statu defensionis sit constitutus. Non differunt, nisi verbis, ius belli & ius defensionis, bellum offensium & defensium, offendere quippe alterum nemini licet, nec is offendi putandus est, qui, ob iniuriam aliis illatam, violenter opprimitur. Patet igitur, politicam magis esse quam iuris distinctionem illam, & vsum, non rationem, pro fundamento habere. Sed quia vocabula ista a multis minus recte fuerunt intellecta, tot inanes & fruolæ exortæ sunt controversiæ, an pro pudicitia violata, alapa inficta vel alia iniuria, quæ non adeo magni momenti est, defensio cum cæde alterius luscipi possit. Alii in decidendis litibus istis, ius ciuale Romanum in auxilium vocarunt, alii principia honesti & decori respexerunt, alii ex comparatione defensionis & rei, in qua iniuria illata est, iudicarunt, alii eius quod sapientiæ regulæ suadent, vel christianismi præcepta iubent, rationem habuere, alii denique statum naturalem & ciuilem inter se miscuerunt. Atque hæc variorum principiorum confusio tantam otiosarum litium multitudinem, de gradu, ad quem in vindicandis istis iniuriis progredi liceat, peperit, ut ius recensendis vix pagina hæc sufficiat. Si ad præcepta iusti reth totam reuocemus, facile apparebit, ius in hostem nobis concedi in infinitum & omnem iniuriam cæde alterius repellere posse, cum violenta defensio in statu naturali, non ex obiecti qualitate, sed ex iniuria, qua affecti sumus, & ex fine securitatis nostræ recuperandæ vnice sit deducenda. Ius naturæ permittit nobis quouis modo repellere iniuriam, non vult, comparationem esse

inf.

instituendam inter vitam hostis & iniuriaz qualitatem, nec determinat modum, quem in repellendo iniusto inuadente obseruare debemus. In statu ciuili res aliter se habet, ibi nostra in hostem violentia rectius est constringenda, nec honesti regulæ permittunt, leuem quandam iniuriam tam atrociter vindicare, aliud quoque volunt leges ciuiles, aliud christianismi placita, quæ iniuriarum, nisi nimis sint atroces, obliuisci nos iubent. Qui vero hæc non satis distinguunt, in otiosas de verbis contentiones facile incidunt.

§. X.

Vltimo denique loco, in hoc capite excutiendum erit, num sine periculo committendi logomachiam, dici possit, quemuis hominem præsumendum esse bonum, vocabulo boni pro non malo sumto. Rectius enim in statu naturali hominem præsumimus indifferentem, id est, non malum, ne incidamus in eosdem scopulos, ad quos PVFENDORFIVS æque ac HOBBESIVS, in definienda existimatione simplici naufragium fecerunt, quorum alter statuit, quemuis hominem præsumendum esse bonum, alter, quemuis præsumendum esse malum. Neuter vero recte, hominis quippe natura & inclinationes, mox ad auxilium præstandum, mox ad damnum inferendum eum inclinant, indiget unusquisque alterius auxilio & unusquisque alteri facile nocere potest. Metuendum igitur simul est atque sperandum, præsumendus est homo indifferens, hoc est talis, de quo, vtrum amicus an inimicus sit, incertus hæsito. Quapropter litem præbere alienæ vocabuli significationi censendi sunt, qui quemuis hominem pro bono habendum esse dicunt, cum tamen, vt ex vocis explicatione constat, idem sentiant ac illi, qui pro indifferente hominem agnoscent. Ansam huic examini instituendo dedit dissertatio : *De existimatione, fama & infamia extra rem publicam* sub præsidio viri illustris, CHRISTIANI THOMASII a ZACHARIA SCHMIDIO habita, in qua auctor §. XIII. Existimatio, inquit, sensu fama simplex, est iudicium de beatitate hominum simpliciter, qua virtus boni iudicantur aquales, id est, non mali. Idem inculcat. §. XXIII. ubi virum aliquem bonum eam ob causam habendum esse dicit, quia neminem latuit.

Cap.

CAPVT. III.

DE LOGOMACHIIS IVRIS PVBLICI VNIVER- SALIS.

S V M M A R I A.

- §. I. Exhibit logomachiam de ciuitatibus ante diluvium conditis.
 §. II. De causa impulsua condenda ciuitatis. §. III. De maiestatu origine. §. IIII. De dominio eminenti. §. V. De iuribus episcopatibus priuipnus. §. VI. De crimine lae maiestatis. §. VII. De trium formarum regularium constitutione. §. VIII. De regularitate & irregularitate formarum reipublica. §. VIII. De mixta republica. §. X. De tyranni nomine.

S. I.

Inter inanes disceptationes, quibus ius publicum vniuersale laborat, controuersiam de ciuitatibus ante diluvium conditis primo loco vt adducamus, ordinis ratio postulare videtur. Vera vtique est illorum sententia, qui ipsius scripturæ facræ testimonio, a) rationibusque non reiiciendis nixi, respublicas a primis mortalibus constitutas esse affirmant, antequam funesta illa humano generi inundatio terrarum orbem inuasit. Sunt tamen, qui contrariam amplectuntur opinionem, non probabile esse contendentes, in tanta hominum & simplicitate & paucitate, ciuitates conditas, inhabitatasque fuisse. In quorum numerum HERTIVS b) refert GEORGIVM CEDRENVM, & DAVID GEORGIVS STRVBE, ipse ab hac sententia non alienus, DITMARVM, & IACOBVM PERIZONIVM. At vero, dicam quod res est, dissensus

D tantum

a) Gen. 4. v. 17. b) In elementis prudentiae ciuilis. P. I. Sect. 3. §. I. c) In disceptatione erudita: De origine nobilitatis Germanicæ, & præcipuis quibusdam eius iuribus, sub præsidio Gerardi Noodt habita. Sect. 2. §. §. nota, a.

tantum in verbis consistit. Quemadmodum enim supra latius datus S T R V B E ostendit, iis potissimum rationibus euincitur, quod ante diluum nullæ extiterint ciuitates, quia accuratores scripturæ interpretes, vt ipse putat, notarunt, Cainum non tam oppidum, quam speculam quandam ædificasse, & quia nullius vius potuit esse ciuitas, cum hominum numerus nondum in multitudinem aliquam excrevisset. Quapropter, illos potius sequendos esse iudicat, qui statuunt, Cainum fixam in certo loco posuisse sedem, quam Hanoch appellauerit, reliquis hominibus hinc inde vagantibus. Sed, qui turrim quandam, non ciuitatem a Caino constructam esse volunt, ciuitatem, qualem hodie habemus, intelligunt: unde sibi persuadere non possunt. Cainum, vna cum illis, qui ad eum confugerunt, in primordiis mundi, vallo quodam, & muris contra hostiles impetus se muniuisse. Facile hoc concedimus, dummodo non repugnat, metum hostium, & conscientia morsus eo compulisse Cainum, vt, imperio in assecias suos constituto, qualicunque se circumdaret munimento, quod ab aliorum insultibus & violentia tutum illum præstare posset. Aequus ergo harum rerum arbiter facile perspiciet, auctores istos tantum demonstrare, quod primis mortalibus ciuitas perfecta & completa, vt nostræ hodie sunt, fuerit ignota, non rudis & inculta, qualis in principio mundi, a prima hominum ruditate exspectari potuit. Ciuitas non ex multitudine incolarum, & ædificiorum copia est estimanda, sed ubique cætus hominum, vel paucorum, vel multorum, sub certo quodam imperio unitus reperiatur, ibi quoque est ciuitas. Patet igitur, illos, qui vrbes ante diluum fuisse negant, re ipsa non contradicere iis, qui easdem tempore primorum hominum fuisse affirmant, inconditas scilicet & rudes, nec cum nostris facile comparandas.

§. II.

Non minus quoque de vera causa, quæ primos homines impulit, vt, relieto statu naturali, in ciuitates coirent, diuersæ sunt, distractæque eruditorum sententiæ. Quod si vero illæ expendantur attentius, in verbis non in re ipsa dissensum esse, pugnan-

pugnantesque autores plurimos, in eo tandem conuenire, quod incommodorum metu coacti primi mortales, ciuitates constiuerint, euidenter patescit. Magnus ille iuris naturae instaurator, HVGO GROTIUS, infirmitatem familiarum segregum in causa fuisse autumat, quod mortalium antiquissimi in ciuitate, quam in statu naturali vivere maluerint, BECMANNVS securitatem vita, BODINVS aliorum violentiam, HERTIUS considerationem malorum naturalem statum comitantium, alii iustitiae administrandae necessitatem, alii vita communitatem veram rationem fuisse statuunt, eur primi orbis incolae, posthabita naturali æqualitate, res publicas constuerint a). Omnes, vti iam dixi, in re ipsa amice conspirant. Etenim, si cum HVGONE GROTIO affirmamus, familias segreges in ciuitatem concessisse ob infirmitatem suam, illas a potentioribus sibi metuisse concedamus necesse est; si cum BECMANNO vita securitatem, vel cum aliis vita tranquillitatem conseruandi studium, rebus publicis originem dedisse dicimus, rursus fatendum nobis erit, illarum autores metuisse, ne tum ab hominibus, tum a feris bestiis, variis adficerentur molestiis: si ad aliorum violentiam confugimus, metus simul inuoluitur, qui homines compulit, vt, ad eandem a se auertendam, vel tutius exercendam imperia condiderint. Violentia enim, quando nobis paratur, metum concipimus, quando aliis infertur, ex metu saepe proficisci solet. Idem dicendum est de consideratione malorum naturalem statum sequentium, siquidem, consideratione ista instituta, homines metuere cœperunt, ne malis ipsis affigerentur, opprimerenturque. Eodem denique modo conciliari cum reliquis possunt, qui iustitiae administrandæ necessitatem homines in ciuiles cœtus coegisse volunt. Nisi enim essent iudicia, improborum indomita licentia quiduis auderet, nemo tutus foret ab alio, quin immo secundum tritum illud proverbum: alter alterum deuoraret. Hinc tot tantorumque malorum certissimus metus homines vel inuitos compulit, vt, pro æqualitate naturali, imperia amplectarentur. Ex his igitur, quæ haec tenus differui, metum principem

cipem, veramque caussam ciuitatis esse, & logomachiae arguedos esse illos, qui supradictas rationes potiores iudicant, haud obscure constare arbitror.

§. III.

Quanta animorum contentione de origine maiestatis, vtrum illa a deo dependeat, an ab hominibus per pacta principi conferatur, disputatum sit, ex historia contouersiarum viri illustris, CHRISTIANI THOMASII, cum Theologo Hafniensi, HECTORE GODFRIDO MASIO, luculenter constat. Inutilem, & nullius in præceptis iuris naturæ definitendis usus, questionem hanc esse ipse obseruat THOMASIVS, & parum abest, quin GRIBNERVS a) eandem inter logomachias referat. Et certe non immerito contouersia hæc inanum disputationum numero maxima ex parte adscribenda esse videtur. Quid enim prohibet, quo minus concedamus, maiestatem in republica a deo, omnis boni ordinis auctore, originem traxisse, siquidem ille, pro immensa sua erga humānum genus benignitate, ad pacem & tranquillitatem, malitia hominum in statu naturali turbatam, restituendam, non ex postfacto tantum confirmasse vel approbasse maiestatem, sed antecedenter quoque præcepisse intelligitur. Nec dubitari potest, quin deus, qui, quantum in ipso est, nihil omittit eorum, quaæ ad veram hominum felicitatem conseruandam faciunt, summa imperia peculiari prouidentia sua sustentet, tueatur atque defendat. Interim tamen specialis ortus maiestatis in hac vel illa ciuitate, soli ciuium cum imperantibus pacto est tribuendus, dum nempe populus communī consensu iura maiestatica principi defert, & princeps eadem acceptat, id quod solidissimis argumentis, si per instituti rationem liceret, demonstare facilissimum esset b). Maiestas igitur ultimato omnium bonorum caussæ vniuersali, deo est adscribenda, qui tanti momenti rem ipse dirigit atque disponit, caussa vero eiusdem proxima & immediata si queratur, nihil aliud, quam pactum hominum

a) lib. 2. cap. 2. §. 2. n. 3. b) Thomasius institut. iurisprudentiæ diuinæ lib. 3. cap. 6. §. 66. seqq. Pufendorf. de iure naturæ & gentium. lib. 7. c. 3. §. 3-4.

minum int̄ueniri potest. Deus quippe sola, rep̄ublica Iudaica excepta, numquam immediate cōstituit reges, nec hunc vel illum eligendum esse, hominibus reuelauit. Quapropter accurate omnino intelligendum est, quid verba ista: maiestatem a deo esse, sibi velint, ne id dissentienti tribuatūr, de quo numquam cogitauit, quem errorem turpes effectus producentem M A S I V S, vir cetera doctus commisit. Quæ præterea a non-nullis auctoribus afferuntur distinctiones, in maiestatem realē & personalem, subiectum eiusdem proprium & commune, fundamentum in re ipsa habent nullum. Quod ad primam diuisionem attinet, realē in populo, personalem in principe residere dicunt. Sed populus iura maiestatica per pactum non communicauit cum principe, tota in eum potius transfluit, iisdemque plane renunciauit. Hinc maiestas realis vox est, prætereaque nihil, vt GRIBNERVS, c) PVFENDORFIVS d), & ZIEGLERVS e) recte obseruant. Eiusdem farinæ est distinctio inter maiestatis subiectum proprium & commune, quando iuris naturæ scriptores populum, superiore nondum electo, maiestatis subiectum commune constituant. Non vere habet maiestatem populus, licet per pactum eandem principi conferre possit. Priusquam summus imperans est constitutus, maiestas non existit, quæ ex pacto, inter eum & populum firmato, datum resultat. His probe obseruatis, sequentium questionum absurditas facile apparebit, dum quaeritur, vbi fuerit maiestas ante ciuitates? fuit nusquam: vbi residenceat, summo imperante morte extincto? maiestas sine imperante concipi nequit: existatne resp̄ublica sine maiestate? quæstio illa contradictionem inuoluit. Nam, vbi non est maiestas, ibi nec est imperans nec ciuis, & per consequentiam nondum totum reipublicæ corpus.

S. IIII.

Progređior nunc ad decantatam illam de dominii eminentis vocabulo controuersiam, inter duos iurisconsultos celeberrimos

c] princip. jurisprud. natur. lib. 2. cap. 2. §. 3. n. 6. d) de iure naturæ & gentium, lib. 7. c. 6. §. 4. e] de iuribus maiestatis, lib. 1. cap. 1. §. 44.

(50) 50 (51)

rimos eruditis scriptis agitatam. Utterque concedebat, iniuste agere summum imperantem, si, prater necessitatem, utilitatem, que reipublicæ manifestam, ciuium bona sibi vindicaret, in eis autem dissensus erat maximus, imperium an dominium, principis potestas in priuatorum bona dicenda esset. Qui pro imperio stabat, voce dominii perpetuam & arbitrasiam principis in priuatorum fortunas potestatem indicari volebat. Sic non amplius res ipsa, de qua conuentum erat, sed vocabulum dominii, utrum illud recte adhiberi posset, in contentione veniebat. Sed alia vocabulo isti tribuenda fuisse significatio, & tota lis facile componi potuisset. Legi de hac controuersia meretur viri longe eruditissimi, IOANNIS FRANCISCI BVDDEI *Historia iuris natura*, a) in qua scripta, quæ docti isti aduersarii sibi inuiuicem opposuerunt, sunt nominata.

§. V.

Qui externam ecclesiæ gubernationem, principibus puriori religioni addictis, ex isto fundamento competere affirmant, quod in locum episcoporum Romanensium successerint, nouam vocem, minus tamen commode, non nouum aliquod ius, iuribus maiestaticis adiiciunt. Quod si enim potestatem episcoporum in ecclesiam, secundum Christianismi regulas, praæquente scriptura sacra, examinemus, omnem iurisdictionem ecclesiasticam, omneque ius episcopale, ad arcana & fictiones clerici Romani referendum esse videbimus. Potestas, quam principes in rebus sacris exercent, ex summo imperio est deducenda, quia illa sub maiestate ita comprehenditur, vt, qui ea est prædictus, iure simul in res sacras polleat b). Cum igitur iura principum nostrorum, quæ vulgo vocantur episcopalia, nihil aliud sint, quam iura maiestatis circa sacra; termino ludunt, qui vocem istam otiosam & superfluam, quæ rem iuri publico vniuersali prorsus contrariam denotat, nihilominus usurpant.

§. VI.

Læsa maiestatis crimen, pro iurium maiestatorum numero
a] pag. 50. f. 53. b] Untersuchung des wahren Grundes, aus welchen die höchste Gewalt eines Fürsten über die Kirche herzuleiten ist; Halle 1719.

31

mero vel aucto, vel climinuto, ab aliis nimis extensum, ab aliis
nimis restrictum esse inuenimus. Inde varie exortæ sunt lo-
gomachiaæ, quas non parum auxerunt, qui crimen illud in re-
bus publicis liberis, vbi summa reram ad unum non est delata;
haut committi posse credunt. Sed nomen in huiusmodi re-
rum publicarum formis abest, non res ipsa, quæ libertatis vo-
cabulo plerumque appellari solet. Sic in Aristocracia iura ma-
iestatica in collegio optimatutis, qui gubernacula reipublicæ te-
nent, resident: in Democracia populo vniuerso iura ista com-
petunt. Vbi vero sunt iura maiestatica, ibi quoque est maie-
stas, licet splendidum istum titulum principibus & monarchis
tantummodo, ad denotandam illorum, præ reliquis imperanti-
bus, excellētiam, lōquendi vsus tribuerit. Qui igitur, exem-
pli cauſa, in republica quacunque libera, sine expresso man-
dato, monetam cudit, eiusdem utique criminis reus est, cuius
ille accusari debet, qui hoc ipsum in monarchico imperio fa-
cere audet. Siue illud, crimen hæc maiestatis, siue aliter no-
minare vetus, perinde erit. In verbis debemus esse faciles,
dummodo in re ipsa conueniamus.

§. VII.

Tres plerumque rerumpublicarum formæ, Monarchia, ne
tempore, Aristocracia, & Democratia, a politicæ & que ac iuriis na-
turæ scriptoribus constituitur. Solent: isdemque nonnulli adeo
pertinaciter inhærent, vt ab his recedere & nouas constituere,
religioni sibi ducant. Hinc omnes omnino formas, quæcum-
que demum occurserint, ad tria ista nomina necessario reuocan-
das esse putant, forte ne Aristoteli, ternarii istius numeri au-
ctori, ignorantia aliqua imputetur. Ab illis Dyarchia & Triar-
chia, quarum exempla G.R.O.T.I.V.S.a) & commentatores eius
copiose attulerunt, ad Monarchia species expissime referuntur,
cum tamen sub nomine hoc, unius hominis imperium intelli-
gi, fateantur necesse sit. Hanc difficultatem vt superent, istud
formarum reipublicæ genus ad Monarchiam referendum esse
dicunt, quia ad illam quam proxime accedit, & Monarchia vox
late

a] De iure belli & pacis lib. i. cap. 3. §. 17.

late sumi potest. Ita vero vnicuique manifestum esse arbitror, illos auctores, tantum pro Monarchia nomine tali reipublica imponendo pugnare, in re ipsa diuersitatem agnoscere. Eadem fere effugia querunt, qui eas rerumpublicarum species Aristocratias esse volunt. Sed meliorem viam sapienter monstrauit CHRISTIANVS THOMASIVS b), qui, pro libertate, quam quiuis artifex habet, nouis rebus noua imponendi nomina, Dyarchias & Triarchias retinet, easdemque peculiares rerumpublicarum species vocare, quam consuetis formis anxie accensere conuenientius esse arbitratur.

§. VII.

Non hic silentio prætereundus est dissensus de regularitate & irregularitate formarum reipublicæ, cum alii reliquint tanquam irregularem reipublicæ speciem, quæ aliis maxime regularis esse videtur. Orta est ista opinionum discrepantia, sine dubio ex eo, quod plerique ignorant, in quo regularitas, vel pulchritudo reipublicæ consistat. Hinc quiuis fere populus eam voci regularis subiicit ideam, quam temperamento suo, & naturali inclinationi, vel statui reipublicæ suæ apprime conuenire sentit. Sic Poloni, gens indomita licentia nimium studiosa, suam demum rempublicam maxime regularem & pulchram esse affirmant, quia regia potestas adeo arctis limitibus in ea est circumscripta, vt eidem se, pro arbitrio, opponere possint, alii contra populi, quibus feruile magis est ingenium, eas rerumpublicarum formas pulcherrimas esse ducunt, in quibus summus imperans absolutam potestatem tenet, quemadmodum illud Russorum, & omnium pæne illarum gentium, quæ extra Europam habitant, exemplo ostendi potest. Et, cui ignorantum est, Hobbesium & qui eum sequuntur, despotica imperia pro regularibus agnoscere: Monarchomachos in eo ponere reipublicæ pulchritudinem, quod summus imperans ad rationes populo reddendas sit obstrictus. Omnes illi, vt verum fatetur, eam reipublicæ ideam, quæ affectibus eorum & passioni domi-

b) in notis ad Vlr. Huberi de iure ciuitatis lib. I. sect. 7, cap. 2. p. 256.

dominiāti blanditūr, regularem appellant; vt adeo vnicuique sua respublica sit regularis, quemadmodum suum cuique pulchrum esse solet.

§. VIII.

Vtrum mixta respublica inter rerumpublicarum formas locum inueniat, an minus, in utramque partem disputari solet. Formæ certe rerumpublicarum inter se misceri nequeunt, nec modus easdem administrandi cum ipsa forma confundi debet. Nam, si maiestas in rege ac in optimatibus, vel populo simul residere posset, triplex foret maiestas, & triplex, in una, respublica, cuius exemplum vt ex omni sæculorum memoria nobis monstretur, cum VLRICO HVBERO a) adhuc exspectamus. Interea tamen facile largimur, esse respublicas, in quibus regi iura maiestatica, non nisi consentientibus populo vel optimatibus, exercere licet. Sic in Polonia regis potestatem, auctoritate nobilium & reipublicæ procerum valde limitatam esse, neminem præterire arbitror. Huiusmodi rerumpublicarum formas, qui mixtas appellat, mixtræ vocem nimis late sumit, & de nudo vocabulo item mouet. Nihil enim causa est, cur talia imperia limitata vocare nolimus, cum sub voce mixtræ reipublicæ, nihil aliud, quam temperatam intelligamus. Videimus igitur totam item facile componi posse, si, remotis verborum tegumentis, rem ipsam attentius consideremus, siquidem, qui statuunt mixtas respublicas, idem sentiunt ac illi, qui easdem negant, licet vocum diuersitate decepti inter se dissentire videantur.

§. X.

Priusquam capiti huic de logomachiis iuris publici vniuersalis finem imponamus, diuersam tyranni nominis notiōnem, & abusum varium paucis adhuc notabimus. Tyrannos omni tempore in orbe sauiisse, historiarum monumenta testantur, quid propriè sit tyraninus pauci recte definire possunt. Quando olim in densis papatus tenebris princeps, clericorum intolerabilē fastum suppressere, & turpissimos mores castigare, emendareque studebat, tyranni fœda appellatione populo inuisus red-

E

deba-

a) De iure ciuitatis lib. I. sect. 8. c. 6. p. 307.

debatur: Quando princeps in turbulentum imperii sui incidebat statum, vbi atrocia scelera, quæ caput extulerant, atrocibus pœnis cohibenda erant, tyrannus vocabatur, qui populorum sibi subiectorum sanguinem fitret. Huc accedit, quod plerumque in ciuitate, tyrannidis nomine insigniri soleat, quod ciuibus grave, difficileque esse videtur. Neque negari facile potest, fuisse interdum principes, magis suæ quam sibi subditorum utilitati intentos, & tyrannorum in morem multis vitiis obrutos, qui tamen funestum illud nomen ideo non meruerunt. Sed, qui quis in diiudicanda tyrannide, re admodum alias difficulti, nimirum promptus, eam vocabulo huic subiecit ideam, quæ prauis affectibus suis & corruptæ passioni quam maxime placuit. Et hæc est ratio, cur multi principes nomen tyranni gerant, quibus tyrannis, sine summa iniuria imputari nequit: multi optimorum dominorum splendido titulo posteritati sint commendati, qui, ut pacta reipublicæ suæ fundamentalia euerterent, nihil fecerunt reliqui. Quapropter summa cautione opus est, ne vocis ambigua significatione decipiamus, & magis attendendum est, cur quis vocetur tyrannus, quam quod ita vocetur.

CAPVT IIII.

DE LOGOMACHIIS IN IV- RE GENTIVM VNIVER- SALI.

S. V M M A R I A.

§. I. Tradit logomachias de eo, quod contra vel secundum ius gentium esse dicitur, & de disciplina huius fundamento. §. II. De gentium inqualitate. §. III. De præscriptionis valore. §. IIII. De mari libero & clauso. §. V. De suprematu. §. VI. De distinctione inter fœderata & pacta. §. VII. De inviolabilitate legatorum. §. VIII. De bello punctino, sololetno & minus sollemnem, offensivo & defensivo. §. VIII. De causis belli instiū. §. X. De violentia bellica, seu iusta defensione limitibus. §. XI. De tyro. §. XII. De iure victoria. §. XIII. De obligatione gentium ad arbitrios admittendos.

§. I.

Gentes in vniuersum, tanquam homines deo subiectos, iure aliquo obligari, extra dubitationem est positum, ius quippe naturæ ad gentes applicatum dicitur ius gentium: quibus partibus illud absoluatur, res est controversa, & plena dissensionis. Alii officia, ad quæ tam perfecte quam imperfecte gentes obligantur, ad iuris huius ambitum retulerunt, alii mores, alii consensum gentium, vel omnium, vel minimum politiorum, religionem alii & officia erga deum sub iure gentium simul comprehendenterunt. Fuerunt porro, qui ius gentium ex pactis rerumpublicarum, vel ex eo, ad quod necessitas gentes compulit, aut utilitas permouit, deriuare maluerunt. Quid? quod quidam ius ciuile multorum populorum, quidam ius naturæ stricte ita vocatum, quidam iustinianum, nomine iuris gentium insignire non dubitarunt a). Quo factum est, vt quiuis fere scriptor, qui de iure gentium commentatus est, de controversiis secundum doctrinæ huius normam dijudicandis, pro eo, quem de iure gentium formauit conceptu iudicium tulerit, & magis quid idea, de disciplina ista conceperat sit contrarium, quam disciplinæ ipsi, ostenderit. Sic, qui ius gentium cum iure ciuili confundunt, aut cum consuetudinibus populorum miscent, feuda & contractus, officia decori & innoxiae utilitatis ad eius forum referunt. Recte vtique iudicant, pro idea ista, quam de iure gentium tenent, & alii in eo maxime ab iis dissentient, quod vnam eandemque vocem diuersæ ideae tribuant. Ita res fese habet cum multis controversiis in iure gentium motis, quas infra dispiciemus, vbi semper attendendum erit, quid auctores sub voce iuris gentium intelligat, qui actiones, quæ eo vel præcipiuntur, vel prohibentur, determinare audet. Cum igitur vocabulum illud tam diversimode accipiatur, non mirum est, quod de recto iuris gentium fundamento constituendo tantus inter auctores sit dissensus, aliis ad contextum rerumpublicarum, aliis ad imperantium sanctimoniam, aliis ad liberam gentium voluntatem recurrentibus b). Quibus addendi sunt, qui populorum commu-

nem consenfum, vel mores & consuetudines, vel necessitatem, vel utilitatem pro fundamento iuris gentium agnoscunt. Quomodo enim in fundamento disciplinæ huius ponendo conuenire potuerunt, qui in definitione eius toto cœlo a se in uicem sunt diuersi. Quius idea, quam de doctrina ista fixerat, conueniens fundamentum quæsiuit, vnde toti diuersa orta sunt iuris huius fundamenta, quot diuersæ eiusdem in cerebro eruditorum enata sunt ideae.

§. II.

Quod omnes gentes inter se sint æquales, ob æqualem obligationem, qua ad pacem externam sectandam conseruandamque obstringuntur, adeo verum est, vt, qui illarum æqualitatem in dubium vocarunt, in vanas inciderint de verbis disceptationes. Sermo enim est de æqualitate morali vel iuris, quando affirmatur, gentes inter se esse æquales, non de politica & physica, quam adstruere temerarium foret. Qui vero inæqualitatem gentium probare voluerunt, nihil aliud egerunt, quemadmodum ex illorum argumentis constat, quam vt ostenderent, gentes physice & politice esse inæquales, id quod facile concedi potest. Quod gens quædam inter alias emineat externo cultu & moribus politis, quod alia aliam superret potentia & diuitiarum copia, quod alias populus alio sit nobilior & antiquitate generis, & meritorum splendore, quod denique gens genti cedat imperandi peritia, nemo negabit. Sed illa inæqualitas in iure gentium non attenditur. Neque enim ius alicui genti competit subiiciendi sibi aliam, licet illa multo sit politior, multoque potentior. De eodem hoc argumento egī in Cap. 2. §. 7. vbi Peripateticos logomachia acusaui, quando homines quosdam nasci natura seruos affirmant. Quare hoc loco plura addere superuaçaneum esse existimo.

§. III.

Vtrum præscriptio inter gentes sit modus acquirendi dominii, in utramque partem disputari solet. Qui eandem ad conciliandum possessori ius in rem, quam sibi vindicauit, invalidam esse putant, ad tempus respiciunt, per quod in possessione

() 37 ()

fessione fuit. Atque ex hoc fundamento præscriptionis valorem euinci non posse recte contendunt, tempori quippe nulla moralitas ineft, & qui rem aliquam iniuste occupauit, licet eam per infinitam annorum seriem in potestate tenuerit, numquam inde legitimus possessor euadet. Aliter vero statuendum est de præscriptione, si tacitam iuris renunciationem, quam illa simul inuoluit, consideres. Est enim *prescriptio*, in iure gentium, *extinctio & acquisitio iuris alieni, ex tacito alterius consensu & quieta per immemoriale tempus possessione resulans*. Inde ius illud, quod præscriptio in rem aliquam gentibus tribuit, innititur tacite derelictioni pristini possessoris, qui rem tanquam derelictam reputare creditur, quam per longum temporis interuallum nec sibi vindicauit, nec sibi vindicandi desiderium publice declarauit. Hoc modo si spectetur præscriptio, dubium non est, quin ea ius producat occupandi rem, quæ posseſſore per longum temporis spatium destituta fuisse deprehenditur. Quæ haec tenus a me sunt disputata eo tendunt, ut ostendant, non nisi in verbis sibi contradicere eos, qui præscriptionem approbant, & qui eandem reiiciunt, ac pro inualida habent. Diuersus ille respectus, quo eam considerant, efficit, ut in diuersas abeant sententias, recta addita explicatione facile conciliandas. Neutra enim pars temere adstruet, tempus præscriptioni efficaciam addere, & neutra contrario inficias ibit, quod res derelicta occupanti cedat.

§. IIII.

Constat inter omnes, quam acriter per integrum fere saeculum, de dominio maritimo certatum sit, dum hinc pro mari clauso, inde pro mari libero steterunt pugiles eruditii. Controversia huius historiam recensere instituti ratio prohibet: tradiderant eandem BVDDEVS a), BCLERVS b), & BECMANNVS c), quorum scripta euoluunt, qui pleniorē eius notitiam sibi acquirere studet. GROTIUS commerciorum Indicorum libertatem demonstratus, & qui cum eo fecerunt,

E 3

GRAS-

a) in historia juris naturæ. b) in notis ad Grotii lib. 2. cap. 2. § 3. c) in editione Grotiana p. 346.

GRASVVINCKELIVS ac VITRIARIVS, oceanum liberum esse, & nullius populi imperio subiici posse recte affirmarunt. Neque tamen erroris arguendi sunt, IOANNES SELDENVS, & qui in eius sententiam pedibus iuerunt, VVELVWOODVS, BVRGVVS, SCHOOKIVS, CONRINGIVS, STRAVCHIVS & alii. Illi, quando mare dominii capax esse contendunt, non vastum intelligunt oceanum, ut GROTIVS & eius sectatores, sed mare, quod littoribus est proximum. Ita enim hanc sententiam explicat STRAVCHIVS, cuius verba BÖCLERVS d) adduxit, & quæ ita se habent: *Tum tantum posse occupari mare, quando se habet ad terram, ut portio quedam.* Patet quoque, rem ita comparatam esse, ex intentione SELDENI, qua inductus, librum de mari clauso conscripsit, patriæ nimurum suæ dominium maris Britannici adserere studebat. Videmus igitur, controversiam istam, quæ tanti olim momenti esse credebatur, tandem in otiosam de verbis disceptationem recidere, ex diuersa voci maris subiecta idea, ortam. Eiusdem vitii accusandus est VL RICVS HVBERVS e), qui potentiam aliquam in mare concedit, dominium negat. Non enim video, quid prohibeat, quo minus dicamus, mare sub dominio contineri posse, cum partes eius, beneficio nauium & classium potentia, sub potestatem ciuilem sœpe redigantur. Accedit, quod maris dominium limitibus certis definiri possit, &, quod a variis gentibus peculiaria in mari exerceantur iura. Taceo ritum demittendi vela, inter multos populos vsu receptum satis indicare, mare dominio esse subiectum. Videtur itaque HVBERVS rem ipsam concedere, & tantum respuere vocabulum, quo illa plerumque insigniri solet.

§. V.

Vox suprematus, antequam personati illius CAESARINI FÜRSTENERII liber, *de iure suprematu, ac legationis principum Germanie* prodiit, ignota fuit omnibus, qui de iure gentium scriperunt. Longe celeberrimus vero libri istius auctor in eo operam, studiumque collocauit omne, vt ostendere,

d) loc. cit. e) digr. lib. 4. c. 13.

set, magnos principes, ac respublicas potentes, a dynastis ac ciuitatibus, non aequae potentibus, aequali tamen superioritate instructis, in eo, vi suprematus differre, quod magnum territorium habeant, & belli ac pacis, non appendices, sed sociæ consituantur. Admodum perspicue vir ille æterni nominis mentem suam declarauit, quando in libri præfatione, *suprematum inquit, ei ribus, qui non tantum domi subditos manus militari regit, sed et qui exercitum extra finia ducere & armis, fæderibus, legationibus ac ceteris iuris gentium functionibus, aliquid momenti ad rerum Europa generalium summam conferre posset.* Hæc est suprematus illius descriptio, quam illustris eiusdem inuentor, & a iureconsultis, & a philosophis neglectam esse queritur, dum interea de ciuitate, maiestate, rerumpublicarum formis, mille voluminibus omnia perstrepant. Sed, salua tanti viri auctoritate, regerere mihi liceat, suprematum talem inter gentes locum inuenire non posse. Illæ enim, ut supra monstrauimus, inter se sunt aequales, altera non est superior altera. Nec hominum multitudo, nec territorium amplum, nec diuitiæ ad aequalitatem illam tollendam aliquid conferunt, nec populus, quo maiori potentia pollet, eo maiora habet iura, & priuilegia, nec superior est illo, qui aequae supremam potestatem possidet. Dicis, differt nihilominus gens ab alia gente in eo, quod propria vi stare, exercitum alere, & si bello laceffitur, contra hostes educere possit. Ast vero ad suprematum inde, secundum ius gentium, concludi nequit, siquidem illud officia tantummodo ea respicit, quæ gens iure perfecto ab alia postulare potest: populorum diuitias, & vires in repellendo hoste, politiæ disciplinæ diiudicandas relinquit. Quæ cum ita sint, suprematus vocem in ius gentium minus commode introductam esse, otiosamque parere logomachiam facile constat.

§. VI.

Intèr fœdus & pactum re ipsa nullam intercedere differentiam, ex vtriusque definitione facile perspicitur. Fuerunt tamen, qui vel ex præpostero erga religionem suam zelo, vel ex odio in hostes, qui fœdera cum aliis contraxerant, vel ex stu-

to

to quodam contradicendi pruritu, contenderunt, fœdera cum infidelibus licite sanciri non posse, putantes, nihil distare, vtrum quis se paganis fœdere societ, an, abnegato vero deo, idola colat. Idem tamen, qui pro iniustitia fœderum cum paganis & idololatris pangendorum, tanquam pro aris & focis pugnarunt; pæcta varia commerciorum, emtionis & venditionis cum eiusmodi hominibus licite iniri posse conesserunt. Sed differunt fœdera & pæcta, non, nisi subiectis, & obiectis, priuatorum quippe hominum conuentiones, pæcta, principum vel rerum-publicarum, fœdera communis loquendi visu appellari solent. Vtrobique est mutua obligatio, & mutua conditionum præstatio, nec plus ad essentiam pæcti, quam fœderis requiritur. Quare non facile excusandam logomachiam committunt, qui commercia & contractus priuatos, cum infidelibus institutos approbant, fœdera contra reiiciunt, ac si naturam rei attingens differentia inter illa intercederet. Hic quoque non tacendum esse videtur tacitum illud fœdus, quod CHRISTOPHORO FÖRSTNERO auctore, principes inter se fecerunt eum in finem, ne umquam concedant, alicuius potentiam ita excrescere, vt ipsi resisti non possit. Quod si vir eruditissimus, loco fœderis, pæctorum normen adhibuisset, errorem illum forsan evitasset. Certe aut vocabulum fœderis improprie summis, aut termino ludere voluit in re seria. Vtcumque se res habeat, fœdera tacita in iure gentium exigui valoris sunt, quod non de principum cogitationibus, vel fœderibus cum iusti regulis pugnantibus, sed de gentium actionibus ad iusti præcepta dirigendis dispicit.

§. VII.

Tot inanibus tricis, difficultatibus, & otiosis verborum pugnis doctrina de legatis, eorumque priuilegiis & sanctitate, est inuoluta, vt in nulla re magis, quam in hac, auctores indiuersas abeant sententias. Alii legatos, sine læsione iuris gentium, a populo, quem adeunt, recusari non posse volunt: alii eosdem nulla vi coerceri debere dicunt, licet contra rempublicam, in quam amice recepti sunt, perniciosissima meditentur

con-

a) in notis ad Taciti annales, lib. 6. p. 714.

(3) 41 (3)

confilia, principique, ad quem mittuntur, omnem ita denegant potestatem, contra eos iure bellii vendendi. Silentio præterea controvierias de honore, & prærogativa legatorum, ceremoniis, in eorthdem admissione visitatis, & iure alyli, quod in alienis terris exercent, quæ omnia iuris gentium esse venditantur. Disceptationes ille, si primam earum originem inuestigemus, ex diuersa idea, quam auctores de iure gentium formarunt, ortum trahunt, & tandem in meras resoluuntur logomachias. Miscuerunt enim illi cum ista disciplina, mores & consuetudines gentium circa legatos, decori, honestatisque officia: quæ ex iure naturæ hypothetico legatis tribuenda erant, iuris absoluti esse crediderunt: quæ sana ratio & prudentia de legatis dictitabat, ad iuris doctrinam spectare falso sibi persuaferunt a).

§. VIII.

Quemadmodum illi, qui bellum distinguunt in offensiuum & defensiuum, logomachia supra, Cap. 2. §. 9. accusati sunt; ita eiusdem vitii merito postulantur, qui inter bellum sollemne & minus sollemne, discrimen aliquod secundum ius gentium, intercedere volunt. Bellum sollemne illis est, quod hosti denunciatur, minus sollemne, quod sine prævia inductione, ipsi infertur. Ast vero denunciationem belli mores politiorum gentium, non ius naturæ, introduxerunt. Populus enim, qui alteri intulit iniuriam, bellum sibi imminere, nisi tempestive satisfaciat, vel alio populo tacente, facile colligere potest. Neque se violenter oppressum, & clam, tanquam a latronibus, ab alia gente oppugnatum esse, conquerendi iustam caussam habet, si prius læserit. Tantum enim abest, vt ius gentium præcipiat, hosti indicandum esse bellum, quo sibi nempe eo melius cauere possit; vt potius omnium adminiculorum, quibus tolli potest, usum concedat liberimum. Quapropter ad politicam disciplinam distinctio ista reiicienda est, cum secundum ius gentium in verbis tantum consistat, re ipsa, iuris fundamentaliter habeat nullum. Nec firmiori nisit tur talo bellum punitiuum, quod G R O T I V S, eiusdemque commentatores quam plurimi, genti varia sclera flagitiaque exercenti, ab alia gente

F

iuste

a) Beweis das es nicht wider das Völker-Recht sey bey gewissen Umständen einen Gefandten zu arretiren.

iuste inferri posse perhibent. Bellum tale intergentes ne concipi quidem potest, cum illas sibi iniucem sint & quales, pena vero semper supponat legem, contra quam impingi possit, superiorum, a cuius arbitrio pendeat, & cuius auctoritate inflatur. In statu quo gens ad aliam relata viuit, nec lex, nec superior existit, nec, per consequens, crimina patrari, nec persona imponi potest, ad iniuriam, solam belli causam, referenda sunt omnia. Cum igitur bellum punituum, per rei naturam esse non possit; nudo tantum vocabulo, ex iuri gentium doctrina tamen eliminando, ludunt auctores, qui de bello isto licite gerendo præcipiunt.

§. VIII.

In causis belli iustis determinandis, mirifice variant auctores, qui in eo ad unum omnes conueniunt, quod, ob illatam iniuriam, ad arma legitime accedi possit. Enim, cum lassionem iuris imperfecti, iniuriam, & consequenter, causam belli esse affirmant; non mirum est, interdum crescentis aliculus potentia metum, vel studium aequalitatis inter gentes obtinenda, nonnumquam oppressionem innocentis, saepius via alterius gentis, fallam religionem, & denegationem transitus per alienum territorium, & quæ sunt huius generis alia, pro iusta belli causa ab illis esse venditata. Solent quidem ferre omnia ista sub iniuria nomine interdum comprehendi, sed vox ista in iure gentium adeo late non extenditur. &, qui eam nihilominus ita sumunt, non tam in re ipsa, quam in usitata vocabuli iniuria significatione errorem committunt; vel, si, recta addita vocis explicatione, acquiescere nolunt; principia honesti & decori cum principiis iusti confundunt. Utroque modo logomachia illis merito imputatur. Latet quoque ambiguitas aliqua in voce causa, quæ, sine dubio, errandi occasionem dedit. Est enim causa, vel occasionalis, vel sua sponte, vel, ita loquar, iustifica. Sic denegatus transitus per alienum territrium, recusatio matrimonii & commerciorum, auxilii, hospitiumque denegatio, ansam bello præbere, vel ad illud suscipiendum impellere possunt; non tamen iustum & legitimam belligandi causam sola suppeditant. Patet igitur, tum ambiguam vocis causa & iniuria significationem, tum confusionem principiorum iusti

43
iusti & honesti, auctores in supera dictas logomachias dedisse
præcipites.

§. X.

Omnis generis adminicula laddendi eum, qui injuria hos
lacestuit, permissa esse intelliguntur iure gentium, quod nobis
ius in infinitum contra hostem concedit, & non tantum contra
eius corpus, sed parentes etiam, fiberos, bona denique, quæ
possidet, omnia, adeo ut, quidquid in hostem libet, id quoque
liceat, dummodo pactorum sanctitas sarta tecta semper confer-
uetur. Hinc percussores in castra hostium immittere, armis
venenatis pugnare, incantationibus, si fieri potest, vti, & si qui
sunt modi alii hostem per varia strategemata laddendi a), ius
gentium non quidem præcipit, sed virtuti, prudentiæ & huma-
nitati cautionem, in iis usurpandis, adhibendam relinquit. Qui
vero tales hostem tollendi modos, tanquam iuri gentium re-
pugnantes, iniustos atque iniquos esse, demonstrare ausi sunt,
de verbis disceptant, dum officia humanitatis & decori, mo-
res & consuetudines communi gentium cohensu approbatas,
doctrinæ, quæ id tantum respicit, quod iustum est, male ad-
miserunt. Apparenter illi ex iure gentium, re vera ex falsa
idea, quam de eo formarunt, disputant, nec quisquam teme-
re negabit, tale ius gentium, quod humanitatis & decori offi-
cia simul comprehendit, supra recensitas hōsti nocendi vias, pro
illicitis agnoscere.

§. XI.

Quod lytrum non tam arbitrii, quam iuris gentium sit,
eos adstruere mirum non est, qui populorum instituta & con-
suetudines, sub iuris istius nomine, simul intelligent. Logomachiam illi aperte committunt, dum verbis ius aliquod præ-
se ferentes, in demonstratione rei ad ritus & mores, a politio-
ribus gentibus approbatos recurrent. Conferatur IOANNIS
NICOLAI HERTHI commentatio peculiaris *de hyro*, quæ in
tome primo opuclorum de selectis & rarioribus ex iurisprudentia uni-
uersali, &c. argumentis reperitur.

§. XII.

Ius victoriæ aliquod a iure belli distinctum, in peculiari

F 2

dis-

a) Zengramii dissertatio de armis in bello prohibitis.

dissertatione, de eodem hoc argumento conscripta, vir magni nominis, HENRICVS COCCIVS primus orbi eruditio tradere voluit. Sed, cum vir ille doctissimus per ius victoriz, illud ius intelligat, quod victor in hostes, vel exitu prælia felici, vel deditio[n]e pura in potestatem eius redactos, exerceat; patet quam evidenter, illum omnia ista iura, quæ victori, aut iure belli, aut deditio[n]is factæ competunt, sub novo quodam iuriis victoriae titulo comprehendere. Victoria ex belli prospéro euentu resultat, nec alia excitat iura, quam quæ ad ius belli referri possunt, ita, ut victor nullum ius tibi vindicare possit, si bellum sit iniuste suscepsum. Quamuis autem, victoria obtenta, bello finis imponatur, & qui in victoria potestatem redacti sunt, ciuilium loço habeantur; non tamen illud iuri victoriae, sed iuri potius paci, deditio[n]is & consensui devictorum in imperium vincentis est adscribendum. Nihil igitur causæ est, cur noua iuriis victoriae vox sit exhibenda, cum victoria ipsa nullum ius inuolueret, & iura, quæ eandem comitantur, ex aliis principiis dependeant.

§. XIII.

Quod gentes arbitris certis lites suas decidendas committere debeant, ex iure gentium deducere ausi sunt quam plures. Ut vnum tantum nominem, magno studio in eo occupatus fuit celeberrimus IOANNES TESMARVS^{a)}, qui, ob varia incommoda in gentes illas redundantia, quæ, si iniuria affectæ sunt, reiecto arbitrio, dubiam belli aleam experiri malunt, ius gentium arbitros imperare contendit. Intellexit sine dubio vir eruditissimus, sub notione iuris gentium, honestatis quoque utilitatisque principia, inter gentes recepta, quæ tot hominum sanguini parcendum esse volunt, si mitioribus viis res componi potest. Poscit s[ecundu]s prudentia, poscit æquitas, ut principes rem amice transfigant, quam armis iuste persequi possent. Inde vero illorum iuri, hostem bello persequendi nihil decedit. Ut breuiter me expediam, lis tota ad logomachiam recidit, sub uno eodemque vocabulo iuris gentium, ab aliis regulæ utilitatis & iuris simul, a nonnullis sola iusti principia comprehenduntur;

CAPVT

a) in notis ad Grotii de iure belli & pacis lib. 2. c. 23. §. 8. lit. a.

DE LOGOMACHIIS IN IURE PRIVATO VNIVERSALI.

S V M M A R I A.

§. I. Proponit logomachiam de iustitia & iniustitia legum. §. II. De effectu morali iuris privati uniuersalis in homines. §. III. De distinctionibus contractuum. §. IV. De distinctione inter pacta & contractus. §. V. De usurarum exactione. §. VI. De actione iniuriarum, utrum licita sit secundum ius privatum uniuersale. §. VII. De dominio infantium, & furiosis non tribuendo. §. VIII. De furto in casu necessitatis licito. §. VIII. De actione contra ingratus.

§. I.

Ius privatum uniuersale, cuius logomachias hoc capite explicabimus, est pars iuris naturae, quæ legum ciuilium circa ea, li-
te que priuatorum iurisprudentiam indolem exponit, eaque ad priuato-
rum iusti renocare docet. Norma huius disciplinæ a plerisque va-
rite, & minus recte concipitur, qui proinde ad eandem, in di-
gitidanda legum ciuilium iustitia respicientes, otiosas de ver-
bis disceptationes sàpè mouerunt. Quamuis enim lex iniusta
proprie sit, quæ priuatorum iuri aliquid detrahit; nonnulli ta-
men iuris priuati uniuersalis interpretes, eas leges omnes vo-
cant iniustas, quæ naturali iustitia non nituntur, & prater iu-
risprudentiam naturalem in republica latæ sunt. Alii, iis le-
gibus, iniustitiae notam inurunt, quæ, indecora & inhonesta in-
terdum præcipiunt, vel actiones honestati & decoro aduersas,
tranquillitatem vero reipublicæ directe non turbantes impune
committi finunt. Et in communis vita usu, experientia disci-
pli magistra, leges tanquam iniuste datas a ciuibus damnari,
ad quas vitam rite componere durum illis videtur atque mo-
lestum. Apparet igitur, eos, qui de legum ciuilium iu-
stitia iudicant, diueras sequi normas, partim ex confusa de
principiis moralitatis idea, partim ex eo, quod affectibus per-
placet, deductas: indeque fieri, ut magis in verbo iustitiae,
quam in re ipsa dissentiant.

F 3

§. II.

De effectu morali, qui ex iure priuato vniuersali in homines redundat, diuersæ sunt auctorum sententiae. Alii affirmant, ius illud homines reddere justos & bonos, alii negant. Quod si secundum externum verborum sonum iudicandum esset, opiniones illæ sibi omnino repugnare dicerentur. Re vera tamen logomachia ibi latet, cum auctores vocis iustitiae significationem non recte intelligant. Tribuitur illa vel bonitati animi, vel actionum externalium: unde iustitia vel interna vel externa vocatur. Quod ius ciuale vniuersale externalam promoueat iustitiam, hoc est, actus nostros reddat extrinsece iustos, certissimum est: quod ad internam animi iustitiam attinet, eam ignorat ius priuatum vniuersale, & ethicæ disciplinae, in qua de virtutibus agitur, discutiendam relinquit.

§. III.

De variis contractuum divisionibus, quas apud nonnullos scriptores reperire licet, recte iudicat GRIBNERVS a), quod illæ mera ciuili subtilitate nitantur. Ut quasdam tantum ex iis nominem, diuiduntur contractus, in nominatos & innominatos, reales, litterales, consensuales, bona fidei & stricti iuris, quemadmodum GUILIELMVS GROTIUS *in encycl. b)* & SAMVEL PVFENDORFIVS, c) *de iure naturæ & gentium* copiose ostenderunt. Sed unusquisque, me non monente, facile videt, quod illæ distinctiones, a contractuum circumstantiis maximam partem petitæ, multas lites verborum gignere soleant, si ad disciplinam nostram referantur, cum nimia obscuritate sua & ambiguitate, a iuris naturæ plana perspicua indole longissime absint.

§. IV.

Inter pacta & contractus differentiam quandam ostendere voluerunt GROTIVS d) & PVFENDORFIVS e), quibus PHILIPPVS REINHARD VITRIARIVS f) quoque accessit, qui in *institutionibus iuris naturæ & gentium* illorum argumentis nouum pondus adiicere tentauit, dum quatuor proposuit momenta, quibus pacta & contractus distingui perhibet.

a) lib. 1. cap. 7. §. 7. n. 1. & lib. 4. c. 3. §. 2. n. 1. b) cap. 20. c) lib. 5. cap. 2. §. 5.
d) lib. 2. c. 12. §. 1. e) lib. 5. c. 2. §. 4. f) lib. 2. c. 12. §. 2.

hibet. Sunt vero illa a iuris naturæ foro plane aliena, & iuris ciuilis distinctiones tantum attingunt, cum differentia, quam inter pacta & contractus constituunt, non rei essentiam, sed quasdam circumstantias, humano instituto determinatas respiciat. Breuiter, tota lis in voce subsistit. Disputatur enim, vtrum id, quod pactum dicatur, contractus nomine, vocari possit, ita ut vocis contractus notio, ad iuris ciuilis placita accommodata, in qua auctores iuris naturæ non conueniunt, omnis dissensio-
nis causa sit,

§. V.

Iure perfecto vtitur creditor, quando ab eo, cui pecuniam dedit mutuam, vsuras exigit, cum iustum omnino sit, restituti ipsi fructum, quem e pecunia cepisset, si eandem in proprios usus adhibere potuisset. Inde ius priuatum vniuersale usuras permittere concluso, licet non defint, qui contrariajam amplectuntur sententiam. Illi vero minus rectam de iure priuato vniuersali tenent ideam, & reliqua moralitatris principia confundentes, cum iuris notione normam virtutis coniungunt. Quo fit, vt, cum ex iure naturæ conclusiones suas deducere videantur, re vera ex regulis honesti disputent. Est vtique honestatis, in imponendis debitori usuras modum seruare, est generosi animi, illas egeno interdum plane condonare, est denique æquitatis, usuras ei remittere, qui ex pecunia credita nullum percepit usum. Ius ipsum non determinat, quoisque in iis repetendis sit progrediendum: principique, vel reipublicæ libera-
ram relinquit potestatem, usurarum modum præscribendi.

§. VI.

Actio iniuriarum nascitur fundamento principiorum iusti, quæ ius nobis concedunt, bona nostra, honesta & que defendendi ac utilia & iucunda. Qui nos conuictis lacerat, detrahit famam nostram, nobisque infert iniuriam, ita, ut in statu naturali bellum contra eum suscipere, in statu ciuili actionem instituere liceat. Quamvis vero certa hæc satis sint atque euidentia; nonnulli tamen iuris naturæ interpretes, actionem iniuriarum principiis iusti prohiberi existimarent. Attenderunt illi, sine dubio, ad sola verba, quibus conuictia proferuntur, & quæ nullum damnum inferre posse videntur, cum nihil aliud sint,

sint, quam nuda voces. Neque liceret contra eum actionem instituere, qui verba quædam in nos euomuit, nisi eo ipso iniuria nobis fieret, & quamvis illa interdum non adeo magni sit momenti, æque tamen, & eodem iure secundum principia iusti, naturalia itidem licet actionem instituere, ac contra illum, qui vitam ipsam in discrimen vocavit. Nemo enim, ne in minimis quidem rebus, ius habet nos lacerandi, & contra ynumquemque lacerentem iusta licet defensio. Quapropter in iudicando de actionis iniuriarum moralitate, non respicienda est sola conuictiorum efficacia, qua per se vix cuiquam nocere potest, sed iniuria est attendenda, contumeliosis verbis nobis illata.

§. VII.

Etsi solidissimis rationibus, ex iuris naturæ foro desumptis, facile demonstrari potest, omnes omnino homines dominii capaces esse; fuerunt tamen nonnulli, qui illud furiosis & infantibus plane denegarunt. Inter quos agmen dicit vir immortalis nominis, HVGO GROTIUS a), quem GRASSI VVINCERELIVS, & VAN DER MVELEN, plurimi, que alii eiusdem commentatores presso pede sunt secuti. Ratio cur viri illi doctissimi furiosos & infantes a domino exceperint, nulla certe est alia, quam quod natura illis non concessit intellectus viuum, quo rebus suis ipsi consulere possint. Hinc enim conculserunt, dominium infantibus æque ac furiosis tribui haud posse, non distinguentes, inter dominium ipsum, & eius administrationem. Administrare res suas nequeunt homines, vel mente capti, vel rationis viuu, ob ætatem, non pollentes, nihil autem prohibet, quo minus sub tutela alterius, dominium in iisdem residere possit. Quapropter MICHAEL HENRICVS GRIBNERVS b) iustius sententia defensores logomachia jure meritoque accusavit.

§. VIII.

Multas difficultates iuris naturæ doctoribus peperit quaestio illa; Vtrum furtum in casu necessitatis sit licitum. Lex etenim diuina res alterius auferre seuere prohibet, & qui contra eam impingit, grauissimo se obstringit criminis, cum furtum semper sit & maneat peccatum, siue fiat in casu necessitatis, siue minus. Inde moti sunt quam plurimi, ut furtum permisum esse, virginite licet necessi-

a) lib. 2. c. 3. §. 6. b) lib. 4. c. §. 6. n. 1,

necessitate, negauerint. Sed contra verba, non rem ipsam disputarunt. Quod si enim quæstionem aliter proposuissent, nempe, an illa actio furtum appellari possit, qua in summa necessitate res alterius eripitur, aliter, sine dubio, iudicassent, siquidem illi, qui in extrema necessitate versatur, necessitas summa in eam quoque rem ius concessit, quæ in potestate est alterius, & sic obiectum mutatur, nec amplius est ablatio rei alienæ, sed suæ. Ita per rem etiam verborum explicationem tota lis facile decidi potest.

§. VIII.

Qui contra ingratum actionem in ciuitate iuste institui posse volunt, nudit tantummodo vocibus ludere videantur. Diuidenda enim est ingratitude in simplicem & prægnantem, illam esse dicunt, quæ officia humanitatis denegat, hanc, quæ beneficium graui iniuria afficit. Ast vero in allata distinctione vitium illud, non prout in se est consideratur, sed prout cum iniuria est coniunctum. Sic, exempli gratia, quando filius parentem, cliens patronum, iniuria afficit, contra ingratos illos, actio in ciuitate datur, non tam, quod ingratiti fuere, quam quod ingratitudini iniustam læsionem addiderunt. Quamuis alterum vitium cum altero sit coniunctum, utriusque tamen unus idemque effectus tribui nequit: adeoque illi, qui ingratum actione posse coerceri putant, vocem hanc ad alias iniurias extendentes, in logomachiam incident. Sic breuiter explicata sunt iuris priuati vntuersalis logomachiaz. Si ad specialiora disciplinæ huius obiecta descendere vellemus, amplissimus nobis aperiretur campus de logomachiis circa contractus speciales, successione hæreditaria, legitima & testamentis adhuc agendi. Sed, cum pro instituti nostrî ratione, de hoc argumento iam satis dictum sit, hic subsistimus.

CAPVT VI.

DE REMEDIIS LOGOMACHIAVM IN IVRIS NATVRAE DISCIPLINA.

§. I. *Remedium prius*: *Distingue moralitatis principia.* §. II.
Secundum: *Evolute vocum ideas.* §. III. *Tertium*: *Plures ne effinge voces, quam necessitas postulat.* §. IIII. *Quatuor*: *Vita otiosas & equinoctiales divisiones.* §. V. *Quintum*: *Indicat numquam ex affectu amoris vel odii de anterioris alicuius sententia.*

§. I.

Euolumus haec tenus, pro virium nostrarum ratione, potiores logomachias, quae in iure naturæ absoluto, iure publico, vniuersali, iure gentium, & tandem priuato vniuersali occurpunt. Ante vero, quam labori nostro finem imponamus, remedia nonnulla breuiter ostendemus, quorum beneficio vitia illa euitare, & de controvërsiis iurisprudentiae naturalis, rectum iudicium ferre possumus. Qui igitur felices progressus in præclarâ ista disciplina facere cupit, id operam dare debet sedulo, ut principia iusti a reliquis moralitatis principiis, honesti nempe, decori & utilitatis sollicitate separet, & omnia iuris naturæ placita ad iusti normam exigat, examinetque. Hoc qui probe obseruauerit, nullo negotio, logomachias euitabit quam plurimas, in quas auctores inciderunt, qui ideae, quam de jure naturæ conceperunt, mox honestatis, mox decori, mox utilitatis principia adiuentes, actionem iuri naturæ aduersari dixerunt, quæ accuratius examinata regulis honesti, vel decori reputabantur. Exemplis rem illustrare supersedeo, cum tota dissertatio tales verborum pugnas recenseat, quæ ex principiorum moralitatis confusione originem traxerunt.

§. II.

Non minus diligenter cauendum est, ne decipiatur vocibus, quarum ideas non satis habemus perspectas & cognitas. Hinc in voce nuda non est subsistendum, sed idea ipsi subiecta statim eruenda, nec prius cessandum est, quam ea per accuratam definitiōnem clare distingueat sit explicata. Irreperunt enim in doctrinam iuris naturæ, doctorum partim ignorantia, partim incauta philosophandi ratione plurimæ voces ambiguae & obscuræ, quæ logomachiis committendis occasionem praebent, si sine prævia explicatione admittantur. Huc accedit, quod ista vocabula, quæ omnium meliorum defectum, necessario adhibenda sunt, ambiguitate saepe labo-

laborent maxima. Vnde tot dubia excitauit, tot difficultates mouit ignotus *ille dubiorum iuris naturae auctor*, qui ex vocis naturae varia acceptione vniuersam iuris naturae doctrinam incertis eruditorum opinionibus niti deducere tentauit. Quare iure meritoque laudandi sunt CHAVVINUS, qui in *lexico suo philosophico significaciones* vocum philosophicarum distincte tradidit, VINCENTVS PLACCIVS, qui in *accessionibus etibius*, accuratas rerum, quas tractauit, definitiones suppeditauit. BERNHARDI, qui *seminarium philosophie Aristotelica & Platonica* magno labore conquisiuit, vt notiones istarum sectarum distincte explicaret: & qui sunt alii.

§. III.

In id quoquod incumbendum est omni studio, vt ne plures effingamus voces, quam necessitas requirit, nec nouo vocabulo ideam alias notam temere subiiciamus, in primis si voces minus sint ad rem accommodatae, vel eandem non ad aquate comprehendant. Sic ex dissertationis nostrae lectione, satis, vt opinor, apparet quot inanes verborum pugnas excitauerint nouae illae voces, quae rem alias non ignorant, vel ad jurisprudentia naturalis forum plane non pertinentem denotabant. Cuius indolis sunt, ius principum episcopale, suprematus, bellum punitium, ius victoriae, & reliqua. Certe non laboraret iuris naturae doctrina tot otiosis litibus, si auctores ab alienis istis vocabulis melius sibi cauiserent.

§. III.

Abstrahendum denique est ei, qui logomachiarum in iure naturae remedium querit, ab obscuris & æquiovocis divisionibus, quæ nominum magis, quæ rei distinctias exponunt, vel ea obiecta dividunt, quæ ad iuris naturae forum male a non nullis referuntur. Quot lites, sed quam inanes pepererunt in iuris naturae doctrina distinctiones in bellum offensiuum & defensiuum, sollempne, & minus sollempne, maiestatem realem & personalēm, & quæ sunt huius fursus distinctiones aliæ. Quassicautius euitassenst auctores, tot inanes disceptationes in iure naturae ortæ non fuissent.

§. V.

Vltimo tandem loco monendum esse putamus, vt in diiudicandis iuris naturae dogmatibus, omnis ad auctorem, a quo ista proueniunt, respectus plane præscindatur. Quemadmodum enim in aliis disciplinis fieri solet; ita in doctrina de iusto & sepissime accidit, vt auctoris illius, qui nobis inuisus est, vel sententiam nobis antea ignorat & ob nouitatem suspectam souet, verba in alienum torqueamus sensum, quem ipse numquam intendit: atque ita eam auctori affingamus sententiam, quæ affectui nostro quam maxime placet. Indignum hoc est animo ingenuo, qui non amoris & odii, sed veritatis aura tantummodo duci debet. Amicus sit Grotius, amicus Pufendorfius, magis amica veritas, quam inuestigare, quam inuenire cupimus. Perinde nobis sit, quicunque dixerit, dummodo vera, clare euidenterque cognita dixerit. His probè obseruatis, vanas de verbis disceptationes in iuris naturae disciplina facili negotio cuitabimus.

AVCTORI DISSERTATIONIS
EISENHARTO

S. P. D.

PRAESES.

Quemquam ipsa dissertationis materia, qua ex iuris naturae doctrina tot logomachias dimones & expurgas, mibi incundissima est, tamen illam exinde voluptatem non exiguam quoque cepi, quod te studiorum philosophiae fractius exceptatos consequi videbam. Incubuisti hactenus ad studia sapientiae ea, qua par est dexteritate, adspersatus hominum vanissimorum indicta, qui desituit optimarum rerum scientia vel alios ignorare volunt, quod nec ipsi primoribus labris attingerunt: vel calido sanguine vexati soli ipsi litterulis suis videri volunt sapere, vel otio libidinoso, cui indulgent, relicti ridere solent illos, quos in libris studiisque liberalibus desudare vident. Landi curam atque diligentiam, qua iuris naturalis doctrinam complexus es, non tantum ipsis rei suavitate, sed exemplo quoque B. Parentis excitatus, qui in excolenda morali doctrina operas plurimum studiique consumsit laudemque immortalem consequens es. Occasionem quidem feliciter dissertationis argumento suppeditans, reliqua tamen omnia tua sunt riaeque debentur industriae, qua auctores exquisiti perlustrasti & pugnas otiosas verborum non incuriose obseruasti. Tanta est materiae amplitudo, ut pleraque logomachiae adnotandae magis fuerint, quam ut vel ipsis antiorum verbis easdem semper explicare, vel argumentis copiosius refutare, vel plures ex specialioribus iuris naturae capitibus eruere licuerit. Placebit institutum & labor tuus, quibus res litteraria iuveniumque ardor in litteris caras cordique est, eaque ultrorum acquisitissimorum existimatio ad prosequendam ingenii culturam te magis magisque incitabit. Faveat supremum Numen coepitis tuis bonaque indolis ornamenta, quibus te condecorauit; in matris, piissimae viduae, solatum indies augmentet atque collusret. Vale. Dabam in
academia Iulia XIII. A. KAL. Iul.
MDCCXX.

